



# **Disquisitio de Ludgero Frisionum Saxonumque apostolo, cui accedit commemoratio Ludgeri de S. Bonifacio atque Gregorio**

<https://hdl.handle.net/1874/300178>

DISQUISITIO

DE

**LUDGERO**

FRISIORUM SAXONUMQUE APOSTOLO,

CUI ACCEDIT

COMMEMORATIO LUDGERI DE S. BONIFACIO ATQUE GREGORIO;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**BERNARDI TER HAAR,**

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus**

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

**IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,**

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

**GERHARDUS PARIS,**

Amstelaedamensis.

A. D. XXVII M. IUNIT, ANNI MDCCCLIX, HORA I.




AMSTELAEDAMI,

APUD H. A. FRIJLINK.

MDCCCLIX.



PARENTIBUS  
OPTIMIS CARISSIMIS.



## PRAEFATIO.

---

Contigit mihi tandem perficere opus, quod ad summos in theologia honores consequendos conscriptum, quam digne perfecerim, quanta diligentia, quanta cura, aliorum sit iudicium, non meum. Hoc tamen profiteri non pudet, magna cum delectatione Ludgeri, Frisiorum Saxonumque apostoli, vitam me exposuisse, cum fide et religione de praecipuo e nostratibus viro me inquisivisse, postremo id semper spectasse, ut pro viribus meis fecisse iure quodam gloriari possem. Itaque dum hae defuerint, laudandane tamen sit voluntas, alii videant; modo ne Ludgeri amabilis et reverenda imago inde damni quid accipiat, neve ex vitae scriptoris negligentia apostoli pii et summi praestantia minor cui videatur, quam re vera fuit. — Atque haec sunt, quae praemonenda habeo de libro meo, et iam subsistere possem finemque facere huic praefationi, nisi dulce ac gratum officium adhuc mihi esset exsequendum, in quo cessare sine dubio nefas haberi debet. Hoc autem quid est? Fert mos, ut qui primum vitae stadium percurrerint, aut potius quasi e carceribus emissi, spatium amplum ingrediantur, gratias agant iis, qui tenerae aetatis exstiterint moderatores, qui doctrina et experientia sua animos juveniles aluerint, acuerint, informarint rebus iis, quae ad humanitatem vitamque puram et piam hominum ingenia perducere valeant. Ego, si hoc more, pio sane et haud exprobando, ut idem facerem me esse commotum negem, mentiar; nec tamen hic solus me impellit mos, est etiam animus gratus et memor, quo cogor, ut viris illustrissimis, optime de me meritis, gratias persolvam eorum, quae nulla alia re unquam persolvere potero.

Quas gratias cui potius ac prius agam, quam tibi, HULLEMAN, V. Cl., quem praeceptorem non solum doctissimum, sed amicum etiam dilectissimum inveni. Tu primis me disciplinarum clementis imbuisti, tu animum puerilem ad graviora vocasti, veram

et unicam scientiae viam mihi monstrasti, monitis tuis et exemplo me instituiti, ut nihil studiis carius haberem. Te duce, summis ingenii scriptores perlegi, te auctore et suasore, contemplatus sum Graecorum elegantiam, Romanorum animos fortes sum admiratus, te viam mihi muniente. O si quid inde utile petivi, si quid profeci, tibi, magister optime, debeo. Grato pectore cuncta recordor; animo memori quae de me, et discipulo tuo adhuc, et iam e schola in Athenaeum egresso, meritis es consiliis tuis admonitionibusque amicis et sinceris, cuncta iam subeunt. Nam de doctrina tua scientiaeque copia uberrima tacere malo, quam nonnulla laudans multa omittere. Nemini non est nota; ut iure mihi tali praeceptore gloriari liceat. Accipe ergo, accipe quae optima tibi optanda habeo. Servet te diu, precor, D. O. M. decus et columnam Academiae Lugduno-Batavae; gaudeat per multos annos inventus tua doctrina; gaudeam etiam ego consiliis et amicitia tua!

Nec tu mihi praetereundus, VEEGENS, V. Doct., cuius praeceptis et doctrina multiplici una cum HULLEMANNI in Gymnasio Amstelaedamensi usus et gavisus sum. Quae de hoc animus gratus me ut dicerem impulit, eadem de te dicta esse intelligi volo. Rector diu adhuc praesis scholae tuae; et tua iucunda institutione fruentes, multi adolescentes ad studiorum finem perveniant!

Vobis adiutoribus utens, BOOT, VETH et BEIJERMAN, VV. Cl., primum meae vitae Academicæ annum consumpsi in iis rebus parandis, quae futuro theologo merito necessariae habentur. Plura vobis debeo, quam quae commemorare mihi sint in promptu, nec unquam quae mihi dederitis benevolentiae documenta obliviscar. Huic benevolentiae me etiam in posterum commendare liceat mihi.

Et quum tandem scholas theologicis frequentare mihi liceret, tu mihi obvium factus es, MOLL, V. Cl., magister pius et doctus, amicus et veluti pater carissimus. Quid primum laudem, doctrinam tuam an comitatem, an industriam summam dubito. Per temporis spatium, quo tuum esse discipulum mihi contigit, benevolentiam tuam sum expertus, adjuisti mihi sapientia et ope tua, praebuisi mihi thesaurum ingentem scientiae tuae et doctrinae, unde quae mihi ad vitam rite ac beate peragendam forent

opus, abunde haurirem. Quod tuus fui discipulus, quod tua familiaritate, tua usus sum humanitate, hoc — fateor enim — Divinae, providentiae dono debeo, Deo ipsi grato pectore acceptum refero. Quamdiu mihi dux et carus fuisti praeceptor, quamdiu re et consilio mihi adfuisti, quando non monita et auxilium mihi, etiam in hoc specimine scribendo, praebuisti, et aut privatim aut in scholis tuis (inprimis in quibus Historia Ecclesiae Nederlandicae discipulis hoc anno primum tradenda et explicanda, doctrinae tuae magnae fructus omnibus obtulisti) viam mihi monstrasti operam levasti ei id effecisti, ut numquam te adirem, quin doctior a te decederem. Perge, magister dilectissime, perge conficere opus difficile, quod amre scientiae et ecclesiae Christi ductus suscepisti; perge literis bonis prodesse tua sapientia, perge dignos Christi instituire ministros! Adsit tibi Deus, faveat conatibus tuis, exaudiatque preces, quas discipuli grati pro te fundunt! Discipulorum tuorum memoriam — quid taceam, scimus omnes — nulla dies unquam ex animo tuo delevit: memor sis etiam mei neve consilia tua utilia, quibus quam mihi sit opus, pulchre ego scio, unquam mihi neget.

Neque te silentio praeterire possum, DOMELA NIEUWENHUIS, V. Cl., qui quanta experientia, quanta vitae et hominum prudentia discipulis tuis prodesse studeas, disputatione non eget. Notum est omnibus, quam ardeas amore muneris sancti, od quod iuvenes informare te non poenitet. Per multos annos praesidis Seminario Lutheranorum, per multos annos facundia tua eximia veritatem ecclesiae Christi commendes; nec mei obliviscere, quaeso, qui quantum ex tuis praeceptis profecerim, numquam obliviscar.

Religio mihi esset, nisi manibus viri illustrissimi id tribuerem, quod utinam vivo tribuere possem. Quam vellem, Clarissime VAN GIJSE, gratum tibi animum meum testificari, grates pendere debitas ob omnia, quae mihi praestitisti. Sed heu! atra dies te abstulit, abstulit te coniugi et liberis, abstulit scientiae et discipulis. At manet memoria doctrinae tuae, manet amor et aestimatio liberalitatis eius, quam nimium iam desideramus, manent quae utilia et bona inter mortales fecisti; semper recordatio tui amicis et discipulis tuis erit iucunda, et vives in omnium animis, exemplum



egregium doctrinae summae, mentis integrae, animi pii et sinceri. Sit hoc tuum exemplum stimulus mihi ad eandem viam ingrediendam, et si vel e longinquo te imitari videbor, non metuo, ne indignus tuus discipulus, ne indignus Christi sim minister.

Humilitatem, qua tu, LOMAN, V. Cl., me excipere semper voluisti; benevolentiam munificentiamque, qua tu, DE BOSCH KEMPER, V. Cl., libros tuos mihi suppeditasti, semper me recardaturum polliceor. Prosit vestra doctrinae copia ampla iuvenibus, prosit etiam mihi, neve unquam vestra amicitia sim indignus.

Te tandem, Clarissime TER HAAR, promotor aestumatissime, te animo memori alloquor atque ob benignitatem laudo, qua de hoc meo opere iudicium tuum proferre voluisti, nec in conscribendo eo consilia tua mihi negasti. Multos adhuc tibi Deus concedat annos, ut Academia Ultraiectina multum liberali tua et uberrima scientia fruatur.

Perfeci quod mos non solus, sed animus etiam et voluntas pelam proferri me coëgit; et sincere omnia nec exaggerate quidquam me professum esse, vos optime novistis, Commilitones carissimi, qui iisdem mecum praeceptoribus usi estis aut etiamnum utimini. O! non possum vos non compellere, qui amici carissimi, amoenissimi exististis mihi. Multi vestrum iam stadium scholasticum reliquerunt et in magna vinea Domini nostri laborant. His salutem et vires validas, perseverantiam et felicitatem prae ceteris exopto. Vivite felices, amici, sitis incolumes, meique animo amico mementote! — Idem vobis dictum esse velim, qui adhuc mecum in studiis versamini, qui vires optimas omnemque operam in eadem re atque ego collocatis, idem spectatis, idem assequimini, humanitatem dico animosque exultos. Plurimum vestrum familiaritate iucunda usus sum, nec non in hoc specimine scribendo opem et auxilium, benevolentiam et liberalitatem sum expertus. Gratias vobis omnibus habeo maximas. Vestram familiaritatem quam maximi faao, amicitiam vestram etiam in posterum mihi postulo. Valet, amici, valet. Deus vobis omnibus adsit!

## I N D E X.

---

Introitus.....	pag. 1.
----------------	------------

---

### P A R S I.

#### LUDGERUS IUVENIS.

§ 1. Apostoli Frisiae, qui ante Ludgeri aetatem vixerunt, ac pugna, Frisios inter et Francos decertata.....	14.
§ 2. Ludgeri stirps.....	24.
§ 3. Ludgeri pueritia.....	27.
§ 4. Ludgerus in Gregorii abbatis schola degens.....	29.
§ 5. Ludgerus in schola Alcuini degens. — Reditus eius in patriam.	38.

---

### P A R S II.

#### LUDGERUS APOSTOLUS.

§ 1. Lebuinus Daventriae apostolus et pastor. — Ecclesia eius a Ludgero restaurata.....	50.
§ 2. Ludgerus Ostragae apostolus. — Presbyter ordinatur. — Inter scholae Ultraicetinae doctores locum occupat.....	56.
§ 3. Saxones agros incursant. — Ludgerus proficiscitur Romam atque in monasterio Casinensi moratur.....	61.

	pag.
§ 4. Ludgerus in quinque Frisiae pagis religionis christianae praeco et praedicator.....	65.
§ 5. Ludgeri in Foseteslandiam excursio.....	77.
§ 7. Ludgerus apostolus inter Saxones Westphalos degens. — Ca- roli Magni certamen cum iisdem gestum. — Apostoli, qui ante Ludgerum in Westphalia euangelium annunciarunt....	83.
§ 7. Rerum narratarum continuatio, Ludgeri inter Westphalos apo- stolatum complectens usque ad episcopatum eius.....	94.

---

### PARS III.

#### LUDGERUS EPISCOPUS.

§ 1. Ludgerus episcopus ordinatur. — Mimigerneford (Monaste- rium) sedes eius episcopalis.....	121.
§ 2. Ludgerus episcopali munere fungens. — Eius schola.....	127.
§ 3. Ludgeri mors.....	138.
§ 4. Ludgeri ingenium et indoles.....	143.
§ 5. Ludgeri scriptum.....	150.
COMMEMORATIO DE S. BONIFACIO ATQUE GREGORIO.....	158.

## INTROITUS.

---

Saeculo septimo exeunte apostoli, ex Gallia aut Anglia missi, Christi religionem in patria nostra praedicare coeperunt, quocirca saeculum octavum maximi cuius est momenti, qui populi nostri historiam indaget atque intelligere cupiat. Nam hoc tempore Frisii eam religionem assumerunt, qua facti sunt cives et magni illius regni, cuius conditor fuit et auctor Carolus ille Magnus, et ecclesiae, quae per totum medium aevum vinculum fuit, quo singuli Europae populi inter se coniuncti erant. Eodem igitur tempore nova historiae Frisiorum incipit periodus, quin etiam universi populi *παλιγγενεσία*, novo ei vitae principio insito. Nec mirum. A pristino cultu abstinere debebant, ac vivendi aliud sequi genus, quod, licet nonnulla adessent, quae cum illo conveniebant, tamen omnino novum erat, multasque res novas secum ferebat. Praeterea Frisii, qui adhuc sui fuerant iuris, iam Francorum potestati subiecti sunt, postquam hi de Frisiis, acriter saepius resistentibus, tandem victoriam reportarunt. Victores suorum morum suaeque expolationis populum victum participem reddiderunt, fidei Christi propagandae fauerunt et, ut breviter dicam, id efficere sunt conati, ut ipsis similis esset. — Itaque multum interest cuiuscunque, populi nostri historiam inquirentis, octavi saeculi studio operam dare; sed praesertim eius, qui ecclesiae Nederlandicae historiam cognoscere velit, quum hoc aevum prima eius historiae periodus habenda sit.

Et revera fuerunt, quibus illud tempus ante oculos sit versatum, quo vita Frisiorum prorsus mutata est; qui simul viros illos in memoriam revocaverint, qui maxima cum audacia atque industria, amore erga Dominum ducti, fidei Christi prima semina sparserunt. Eo consilio iam antea Boschaerts et van Heussen, nostris diebus vv. dd. Royaards et Diest Lorgion, nec non Germanus ille doctissimus, Rettberg libros suos in lucem ediderunt, hisque viris id imprimis debemus, quod Willibrordi nomen magis, quam antea, inclaruerit, quippe qui fundamenta iecisse ecclesiae nostrae iure ab omnibus iam habeatur. At non Willibrordus solus hac laude ornandus: alii quoque adsunt digni, quorum nomina, aequae ac Willibrordi, ab oblivione vindicentur. Ut, quod sentio, dicam: nisi me omnia fallunt, vulgo de solis Willibrordo, Wulfrano et Bonifacio cogitant, quando mentio fit apostolorum, qui in Frisia laborarint, idque eo magis, quoniam traditio nomina eorum adhuc apud populum variis monumentis servat. Quidni autem una cum illis memoratur Gregorius, abbas Ultraicctensis, quidni Lebuinus, Willehadus, Ludgerus, ne plures nominem? Nam quamquam negari nequit, Willibrordum fundamenta posuisse magni aedificii, numquam tamen hoc aedificium absolutum fuisset, nisi Gregorius abbas intentis viribus propagationi rei Christianae favisset, nisi Lebuinus, Willehadus, Ludgerus apostoli ad gentiles venissent.

Quamobrem specimen academicum, quum mihi scribendum esset, unius illorum virorum, qui cum Christi nomine humanitatem etiam in nostram patriam attulerint, vitae tractandae, meritis exponendis, moribus ac ingenio indagandis adsignare volui; nec dubitavi Ludgerum, nostrorum apostolorum ultimum, eligere, cuius vitam atque labores conscriberem. Profecto enim egregius ille vir dignus est, qui laude memoretur inter apostolos nostros, nec minus inter nostrates; nam id prae aliis rebus tenendum, Ludgerum, in Frisia natum, primum fuisse, qui *civibus suis* Christi religionem nunciaverit. Quo accedit, quod, Ludgero vivente et

operante, ultima incipit periodus historiae religionis Christianae introducendae, et ultimum pugnatur certamen Frisios inter et Francos. Hi de illis tandem victoriam reportarunt, quae victoria, sanguinea quidem, omnino tamen frugifera fuit; nam, hac adepta, tota Frisia euangelii praedicationi aperta est. Per totam autem hanc periodum Ludgerum videmus omni vi Christi fidei propagationi operam dantem; praecipue ergo nobis enarrandum erit, quae quantaque eius merita sint hac in re; quod ut faciamus, vitae apostoli historiam memoriae mandabimus, simul de aetate et aevo, quo vixit, agentes.

Antequam vero ad ipsam narrationem transimus, breviter fontes enumeremus, e quibus Ludgeri vitam hausimus, ut etiam varia scripta, quae de eo agunt.

Fontes ergo habendi sunt *quatuor* scriptorum libri, qui omnes totam Ludgeri vitam exposuerunt, nec tamen eiusdem sunt pretii. Deinceps eos memorabimus, simul nonnulla addentes, quod ad scriptorem, quod ad materiam.

I. *Vita sancti Ludgeri, conscripta ab Alfrido, edita*

- 1°. a Bollandianis: *Acta SS. a. d. 26 Mart. m. Martii* tom. III, pag. 642—652, qui tribus usi sunt mss. Ante „*Vitam*” invenitur commentarius praevius, qui de Ludgeri vita et scriptis multas continet animadversiones praecclaras atque criticas.
- 2°. a Leibnitz: *Script. rer. Brunsvic.* Hanoverae, 1707, tom. I, pag. 85—100; in hac editione Alfridi vita non integra legitur; nam in libro altero partem *vitae secundae* invenimus, finis autem ex *vita tertia* desumpta est.
- 3°. a Mabillon: *Acta SS. ord. Benedicti*, Saec. IV, parte I, pag. 18—35.
- 4°. a Pertz, *Monum. Germ. hist.* tom. II, pag. 403—419. Cuius viri egregii editione, quum pulcherrima et optima sit habenda, semper in locis laudandis utemur. Optimam eam dicimus, quum magna cura ceterae nar-

rationes cum Alfridi comparentur et in margine ubique inveniuntur additamenta. Neque omittuntur variae lectiones, quas tamen, non nisi re ita postulante atque urgente, adhibebitur sumus.

Scriptor huius vitae, Alfridus, post Gerfridum Ludgero episcopus Monasteriensis successit. Mortem obiit anno 849, quadraginta ergo annis post Ludgerum, quamobrem testis ille omnino fide dignus est, quippe qui verisimillime Ludgeri aequalis fuerit. Hinc tamen sequatur non necesse est, Ludgeri eum usum esse consuetudine, quod vix probabile videtur, quum huius rei nulla in ipso opere fiat mentio. Ceteroquin nihil de Alfrido notum est, quamquam nonnulli <sup>1)</sup> eum Mechtildis, Ludgeri sororis, filium appellantes, huius consobrinum, Gerfridi autem fratrem eum fuisse fingunt. Attamen sententia ea nobis omni testimonio carere videtur, quia praesertim ipse numquam eo nomine se significat.

Alfridum scriptorem fuisse, dilucide patet ex prologo, qui simul nos docet, librum eum composuisse, rogatu „fratrum et monachorum, in coenobio S. Salvatoris et s. patris Ludgeri Domino servientium in Christo.” Quibus rogantibus ille, „Dei gratia episcopus,” „consensum praebuit, quia caritati eorum nihil denegare potuit.” Deinde sic pergit: „ad quod studiosum opus peragendum, quamvis imparem me esse, et scientia et doctrina debilem scirem, tamen, caritate cogente, ad illud scribendum animum appuli, quia nefas putabam tanti viri latere virtutes.” Rei narrandae materiam hausit ex iis, quae ipsi tradita erant a nonnullis, quorum alii Ludgerum a puero noverant, alii ab eo fuerant eruditi. Inter quos Alfridus Hildigrimum nominat, Ludgeri fratrem, postea episcopum Cadalonensem <sup>2)</sup>; porro Gerfridum, nepo-

<sup>1)</sup> Wilkens, apud L. von Bornstedt, *Der h. Ludgerus*, p. 237; Behrends, *Der h. Ludgerus*, p. 69; alii.

<sup>2)</sup> Alfridus, *vita Ludgeri*, Lib. II, cap. 3.

tem et successorem Ludgeri; Heriburgam sive Gerburgam, „feminam sanctimoniamalem,” eiusdem sororem; Alubertum denique, Atingum, Thiatbaldum, presbyteros.

Brevi prologo peracto, sequitur Ludgeri vitae enarratio, duobus libris conscripta, quorum prior eum nobis adumbrat puerum, iuvenem, agitque de vita eius usque ad tempus, quum ordinatus sit episcopus, alter nos certiores facit de eius morte et sepultura, additis nonnullis rebus, ad laborem eius apostolicum pertinentibus. Tertius etiam exstat liber, qui miracula et signa memorat, ad Ludgeri sepulcrum facta. Jam in fine prologi Alfridus se haec miracula commemoraturum promittit, eaque, quae una cum monachis Werthinensibus vidisset aut facta esse didicisset. Et revera in toto libro tertio nullum invenitur miraculum, quod, Alfrido vivo, factum esse nequeat, nec ulla anachronismi vel parachronismi vestigia adsunt. Quae quum ita sint, nihil est quod obstat, quominus Alfridum tertii quoque libri scriptorem habeamus.

In universum hoc de Alfrido iudicium in medium proferre non dubitamus, eum in opere conscribendo magna reverentia erga Ludgerum ductum fuisse; quam reverentiam ei non ita praestat, ut nimis copiose de eo loquatur, sic ut complures sanctorum vitarum scriptores solent, sed potius ita, ut Ludgeri religionem, doctrinam, magnam laborum provinciam memoriae mandare conetur. Simplex eius est narratio, omni ornatu destituta procedit, et quatenus diiudicari potest, ratione satis fide digna res exponit. Itaque Alfridi liber totius nostrae disquisitionis fundamentum erit; ceteros autem, qui Ludgeri vitam conscripserunt, nisi singulare quiddam memorant vel falsa narrant, non citaturi sumus.

II. *Vita s. Ludgeri, auctore anonymo, monacho Werthinensi*, edita a Chr. Browero: *Sidera illustrium et sanctorum virorum, cet.* Moguntiae, 1616. p. 36—75; qui liber rarissimus invenitur in bibliotheca Academiae Lugd. Bat. Hanc editionem secutus est Surius: *Acta SS. Coloniae Agrip-*



pinæ, 1618, p. 254—265; qui Lib. I, cap. 20—23, quæ deerant in ms, quo Browerus usus erat, ex *vita tertia*, antea a se edita, addidit.

Broweri vestigium etiam pressit Mabillon, o. l. p. 35—61.

Partem postremo *vitæ secundæ* ediderunt Bollandiani,

o. l. p. 652—658; Leibnitz, o. l. p. 97—100; Periz,

o. l. p. 419—424.

Quis autem huius libri scriptor? Antequam aliorum sententias exponimus, ipsi inquirere volumus, quidnam ex ipso scripto pateat. *Primum* animadvertendum est, scriptorem, de Frisiae apostolis mentionem facientem, hæc addere: „qui, exeuntes de terra et cognatione sua, *nostras patrias* agnitione Christi illuminare laboraverunt <sup>1)</sup>.” Ex quibus verbis patet, scriptorem in Frisia natum fuisse. *Deinde*, commemorans Landricum, ex patre nobili in Foseteslandia ortum, a Ludgero baptizatum et eruditum fuisse, anonymus noster scribit: „quem [Landricum] postea in Fresonum gente religiosum presbyterum *vidimus*” <sup>2)</sup>, unde eum Landrici aequalem fuisse efficimus. *Postremo*, enarrans annum atque diem, quo Ludgerus mortuus est, Hildigrimum quoque affirmat aequæ ac Gerfridum iussisse, se Werthinae sepeliendos esse <sup>3)</sup>. Iam vero aliunde <sup>4)</sup> scimus, Altfridum quoque eodem loco sepultum esse; quod si scriptori nostro innotuisset, non dubito, quin commemorasset. Quare Altfridum tempore eo, quo *vita secunda* conscriberetur adhuc in vivis fuisse coniecimus. Hic autem anno 849 diem obiit. Attamen postea annum 864 <sup>5)</sup> memoratum invenimus, ac tota nostra coniectura falsa esse videretur, nisi nobis alii scriptori hanc partem tribuere liceret; quod, ne faciamus, nihil obstat. Etenim locus laudandus in secundo libro legitur, qui multa continet mira-

1) Lib. I, cap. 3.

2) Lib. I, cap. 18.    3) Lib. I, cap. 37.

4) c. g. e J. Cincinnii *vita dñi Ludgeri*, Lib. I, cap. 52.

5) Lib. II, cap. 26.

cula, quorum enumeratio non ab uno scriptore fieri solet. Haec etiam Broweri <sup>1)</sup> sententia est, qui praeterea Othelgrimum, Ludgeri familiarem et discipulum, scriptorem putat, provocans ad *vitam rhythmicam*, de qua infra mentionem faciemus. Ibi enim poeta, se *quarto loco* de Ludgero scripturum ait, quod jam antea fecissent Othelgrimus, Altfridus, Uffingus. At, sic enim iure quaerimus, 1°. quomodo Altfridus dicere potuit, „Ludgeri virtutes latere,” si iam antea Othelgrimus sanctum illum virum in memoriam revocasset? 2°. Quâ fieri potuit, ut monachi Werthinenses ab Altfrido Ludgeri vitae descriptionem peterent, quum iam talis sibi esset? Unde luculenter apparet, Othelgrimum, siquidem scriptor habendus est, post Altfridum scripsisse. Atqui 3°. animadvertimus scriptorem non fuisse ex Ludgeri discipulis, quippe qui, dicendo: „ferunt et alia miranda, venerabiles viri de discipulis eius” <sup>2)</sup>, ipse se seiungat ab iis. Quibus rationibus accedit eum duos etiam parachronismos committere, nobis suo loco indicandos. Quamobrem consuetudine et familiaritate Ludgeri usus non esse videtur scriptor. Itaque, e nostra quidem sententia, anonymus etiamdum habendus est.

Quod ad librum ipsum attinet, de eo haec nostra est sententia. Scriptori Altfridi opus notum fuisse patet, quum saepius iisdem verbis, quibus hic, utatur; quae vero ab eo adduntur, etsi non omnino reiicienda sint, non semper rei veritati consentanea sunt. Opus bipartitum est; pars prior continet Ludgeri vitam, posterior autem miracula, ad apostoli sepulcrum facta, enarrat.

III. *Vita s. Ludgeri, scripta a monachis coenobii Werthinensis*, edita a Surio: *Acta SS. Coloniae Agrippinae*, 1571, p. 384—409.

Huius vitae prologus, si saltem de pluribus scriptoribus cogitare nobis licet, „fratres in coenobio S. Salvatoris et

<sup>1)</sup> o. l. p. 77 seqq.

<sup>2)</sup> Lib. I, cap. 28.

s. confessoris Ludgeri” librum composuisse, nos docet, simul indicans, quo consilio id fecerint. „ Dignum est enim, ut mortalibus vita Ludgeri declaretur, cuius nomen in libro vitae ascriptum tenetur. Sic quippe illud psalmistae implebitur: „ in memoria aeterna erit iustus.” ”

Ipsa vita bipartita ét Ludgerum viventem ac agentem coram nobis adumbrat, ét miracula commemorat, quae ad eius sepulcrum stupefecerint homines. Quod ad priorem partem attinet, haec sine dubio ob argumentum maxime nostra interesset, si quae Alfridus et scriptor anonymus *vitae secundae* aut omiserunt, aut saltem non satis enucleate perscripserunt, si ea, inquam, clarius aut melius, vel additis, vel explicatis vel etiam correctis nonnullis rebus, scriptores exposuissent. At nil novi liber nobis praebet, et monachi Werthinenses suam enarrationem ex iis, quae in Alfridi et scriptoris anonymi operibus invenerunt, conflasse censendi sunt, quamquam ipsi de ea re prorsus silent. Praeterea rerum expositio minime eorum scribendi consilio respondet, quum contemplationes, quae saepius rebus narratis adduntur, quibus lectorum auditorumve fides confirmetur, nullius plerumque sint momenti saepiusque taedium et satietatem commoveant <sup>1)</sup>. Unde facile intelligi potest, nos tertiam hanc vitam parvi facere neque unquam in locis laudandis adhibituros esse.

Monachos Werthinenses, quum in prologo mentionem faciant „ de sanctissimae Ludgeri vitae *consciis, qui adhuc aliquanti in corpore supersunt,*” ac se narrare dicant, quae ab iis audierint, „ qui Ludgeri conversationi *interfuerunt,*” coniecimus octavo saeculo exeunte vel nono ineunte librum suum scripsisse.

#### IV. *Vita rhythmica, a monacho Werthinensi conscripta.*

Totum hoc poëma nondum in lucem editum est, quamquam iam Bollandiani multa fragmenta inseruerunt operi

<sup>1)</sup> Vid. e. g. Lib. I, cap. 2, 9, 32.

laudato, p. 636, 638, 641, 649, 655, 658, 660, sic ut etiam Pertz, o. l. p. 424.

Iussu autem Bernardi von Wefelkhofen, abbatis Werthinensis, hoc poëma compactum est a monacho quodam, et quidem dimidio duodecimis acculi, quum Bernardus ille inter annos 1126—1138 abbatiae praefuerit <sup>1)</sup>).

Poëmatis pretio in medio relicto, animadvertimus, neque hoc inter fontes numerandum esse, quum nihil aliud sit nisi compilatio trium, quae iam laudavimus, operum, exceptis nonnullis miraculis additis.

Secundum *vitam rhythmicam* iam antea tres scriptores Ludgeri vitam tractaverant, Othelgrimus, Altfridus, Ustingus vel Uffingus. Quorum hic monachus fuit Werthinensis et, in fine decimi saeculi, vitam s. Idae <sup>2)</sup> literis mandavit; vita autem Ludgeri prorsus periit nihilque de eo superest, nisi *carmen de s. Ludgero* <sup>3)</sup>). Fortasse tamen *vitae rhythmicae* poeta rem paululum exaggerasse censendus est, quum Uffingum Ludgeri vitam exposuisse diceret; ipsum iam supra perperam Othelgrimum, primo loco scriptorem nominare, vidimus; verisimillime igitur Uffingus nil amplius confecit, nisi carmen illud. Quae sententia eo magis probabilis redditur, quo magis constat, eo tempore revera iam varias *vitae Ludgeri* exstitisse. — De ipso autem carmine hoc tantum memoramus, in eo Ludgeri laborem et monasterium, ab apostolo nostro fundatum, laudari.

Prae aliis ergo fontibus *Altfridi* opus maximi facimus, atque ceteros minoris pretii habemus. Sed praeter hos unum opus adhuc, quod memoremus, nobis restet, i. e.

V. *Chartularium Werthinense*, editum

a Leibnitz: o. l. I, p. 101—120;

et Lacomblet: *Urkundenb. für d. Gesch. d. Niederrheins.*

<sup>1)</sup> Cf. Behrends, o. l. p. 82.

<sup>2)</sup> Apud Leibnitz, o. l. I; partim apud Pertz, o. l. II, p. 569 seqq.

<sup>3)</sup> Apud Bollandianos, o. l. p. 659; iam antea editum a J. Cincinno.

Chartularium illud diplomata continet, quibus Ludgero agri, silvae, cet. traduntur, in gratiam monasterii Werthinensis aut alius ecclesiae, ab eo conditae. Quae diplomata sive traditiones egregie valent ad tempus definiendum, quo res singulae acciderunt; quam ob causam saepius iis utemur.

Ex hisce omnibus patet, saepe variisque temporibus Ludgeri vitam dignam habitam esse, quae a pluribus tractaretur. Horum autem scripta postea etiam aliis inservierunt, qui eiusdem vitam memoriae tradiderint. Inter quos primo loco commemorandus est Ioannes Cincinnius de Lippia, qui scripsit *vitam divi Ludgeri, Mimigardevordensis ecclesiae, quae est Monasteriensium Westfaliae, prothoepiscopi, Saxonumque et Phrisorum apostoli*; ed. Quentell, Coloniae, 1515. <sup>1)</sup>

Hic in duas partes opus suum divisit, quarum prior de Ludgeri vita, altera de eius miraculis agit; proposuit autem sibi scriptor, ut e fontibus, supra a nobis laudatis, integram narrationem componeret, aliis simul scriptis utens, v. c. chronicis aliorumque sanctorum vitis. Quod revera fecit Cincinnius, sed tali modo, ut ipsius opus nonnisi compilatio habenda sit, quum prorsus omni arte critica careat. In miraculis enumerandis maximam operam consumsit auctor, ita ut *omnia*, quae Ludgero tribuuntur, in eius opere reperiantur. — Vitae narratae addidit carmen Uffingi, quod „carmen in laudem huius loci Werthinae” inscripsit; tandemque ipsius „in sacratissimum divi Ludgeri confessoris ac pontificis natalem hymnus sapphicus et adonicus” in fine libri invenitur.

Post Cincinnium tria memoramus chronica, quae edita sunt a Matthaeo <sup>2)</sup>. Primum horum chronicorum conscripsit Eggericus Beninga, de cuius fide et scribendi ratione hoc, multis, quae eodem modo scripta sunt, praetermissis, sufficiat. Narrat enim Widnkindum, ducem illum Saxonum, anno 801, a Ludgero, episcopo Monasteriensi, et Adelbrico, episcopo Ultraiectensi, ad Christi fidem conver-

<sup>1)</sup> Opus illud rarissimum adest in bibliotheca Daventriensi, mihi quo praebitum a viro plurimum venerando P. C. Molhuysen.

<sup>2)</sup> *Veteris aevi analecta*, Tom. IV, p. 70, 77 seqq; Tom. V, p. 2-8.

sum, a Ludgero baptizatum esse, cuius nomen ab eo iude tempore acceperit. Sed, ut notum est, iam anno 785 Widukindus se Carolo Magno submiserat; deinde anno 801 Ludgerus nondum episcopus ordinatus erat; postremo eo tempore Adelbriens iam mortem obierat. Itaque Beninga minime fide dignus est, atque hoc iudicium minime de nonnullis tantum rebus, sed de toto eius opere valet. Huius erroris iam hîc mentionem fecimus, quia et Beningae opus et Arnoldi de Bevergerne atque Martini Tympii, qui Ludgeri vitam aequè negligenter conscripserint, silentio in posterum praetermitteremus.

Porro laudanda nobis est *Batavia Sacra, versio Belgica*, 8°. Antverpiae, 1715. — Huius libri scriptor plerumque verbis Mabillonii <sup>1)</sup> usus est, qui quum accurate optimos fontes adhibuerit, haec ipsius scripti versio multa praebet ad Ludgeri vitam recte cognoscendam. Vel sic tamen silere non possumus, gravem Bataviae Sacrae editores commisisse errorem, quippe qui Ludgerum, episcopum Ultraiectensem, anno 856 mortuum, confuderint cum nostro Ludgero. Hinc factum, ut, prorsus perturbati, nullam aliam viam inire potuerint, nisi Ludgerum, episcopum Ultraiectinum unquam existitisse negando. Vir el. Royaards rei veritatem significavit <sup>2)</sup>, et iure; an vero eodem iure Bataviae Sacrae errorem ceteris quoque scriptoribus communem dicat, dubitamus, quum solos van Heussen et van Rijn ea res fefellerit, ceteri autem, qui de Ludgero, episcopo Monasteriensi, scripserint, rem acu tetigerint.

Per postremos nostri aevi annos plures fuerunt in Germania, qui Ludgeri vitam atque laborem apostolicum literis mandarunt, quorum nonnulli id opus in se susceperunt copotissimum consilio, ut viri illius merita coram populo adumbrarent. Ipsa scripta hîc sequuntur:

1°. *Einführung d. Christenth. in Westfalen u. d. Leben d. h. Ludgerus*, Coesfeld, 1841.

<sup>1)</sup> *Annales ord. Bened.* Tom. II, passim.

<sup>2)</sup> *Gesch. d. invoering v. h. Chr. in Nederland*, p. 296.

2°. *Der h. Ludgerus*, in diario: *Sonntagsblatt für Katholische Christen*, Münster, 1844, N°. 18 seqq.

3°. Louise von Bornstedt: *der h. Ludgerus*, Münster, 1842; ed. 2<sup>a</sup>, 1856.

4°. A. Rische: *Ludgerus*, in: *Evangelischer Kalender* ed. F. Piper, 1852.

De hisce libellis paucis iudicium nostrum ferre possumus: omnino satisfaciunt consilio, quo scripti sunt; revera idonei sunt ad Ludgeri vitam in memoriam revocandam; sed frustra qualemcunque doctrinae copiam apud eos quaerimus, quum vulgo non nisi Altfridi librum fontem adhibuerint. Melius de Ludgero egit:

P. W. Behrends: *Leben des h. Ludgerus*, 1843, p. 1—60; nam hic primus fuit, qui docte ac diligenter nostri apostoli vitam tractavit. Accurate fontibus usus est, sed dubitari potest, an semper artem criticam adhibuerit, praesertim in Ludgeri inter Saxones laboribus enarrandis. Operi suo addidit historiam monasterii Helmstadiensis, quae multa praeclara praebet, quamquam tenendum est, eum plerumque et nimis fortasse ex traditione vulgari hausisse. De patria autem nostra haud uberius egit, nec vero mirandum, Germanum potius Ludgerum, *Saxonum* apostolum, ob oculos habuisse.

Haece tamen laus non tribuenda est orationi <sup>1)</sup>, quam habuit J. H. van Yssel, qui, quamvis Ludgeri popularis, merita eius de nostratibus nimis neglexit, aequae ac Behrends, quem in tota disquisitione secutus est.

Addito libello viri doctissimi E. J. Diest Lorgion, *Levensschetsen van invloedrijke Christenen in Nederland*, 1855, p. 45—54, postremo loco enumerare libet scripta nonnulla, quae, quum de aliis rebus, tum etiam Ludgeri mentionem faciunt. E quibus haec eligimus:

H. J. Royaards: *Geschiedenis der invoering en vestiging van het Christendom in Nederland*, ed. 3<sup>a</sup>, 1844, p. 296—300;

<sup>1)</sup> *Voorlezing over Ludger*, eod. in: *De Vrije Fries*, t. VI, 1853, p. 253 seqq.

F. W. Rettberg: *Kirchengeschichte Deutschlands*, II, § 62, p. 424 seqq.;

A. Neander: *Allgemeine Gesch. d. chr. Religion u. Kirche*, ed. 3<sup>a</sup>, tom. II, pars I, p. 43;

A. Neander: *Gedenkw. uit de gesch. v. h. Chr. leven*, II, p. 202;

A. F. Ozanam: *La civilisation chrétienne chez les Francs*, Paris, 1849, p. 265.

Ex his autem omnibus apparet, iam multos fuisse, qui Ludgeri vitam conscripserint; quare fortasse verendum mihi, ne nonnullis noster labor supervacaneus esse videatur. Sed omnino tenendum est, plerosque eorum scriptorum esse Germanos, quorum, quum opus suum componerent, minoris intererat, quid in Frisia Ludgerus laborasset. Eam periodum illius vitae nonnisi obiter tractare solent, dum eum in Westfaliam sequi festinant. Nos quidem aliam viam ingressuri sumus. Uberius de eius labore in patria nostra, de eius munere apostolico inter Frisios tractaturi sumus, ut pateat, eum fuisse, qui magnum opus, a Willibrordo inceptum, ad finem perduxerit, qui Groningam, Frisiam orientalem ad Christi fidem converterit.

Quod consilium ut persequamur, totum opus in tres partes vel periodos dividimus, quas ipsa Ludgeri vita facile nobis exhibet; quarum

*Prima* est inde a Ludgero nato usque ad apostolatam, ab eo susceptam;

*Secunda* ab initio Ludgeri muneris apostolici usque ad eius episcopatum;

*Tertia* inde ab episcopatu usque ad Ludgeri mortem.

Specimine nostro peracto, Ludgeri scriptum, *vitam Gregorii abbatis*, typis mandabimus. Pulcher enim ille liber in paucorum manibus est, quamquam siue dubio dignus est, qui ab omnibus cognoscatur, quum ob ipsam gravitatem, tum ob eam praesertim causam, quod hic primus liber est, a viro, de gente Frisia, conscriptus. De ipso autem libro plura enarrabimus in brevi commentario praevio.



P A R S P R I M A.  
L U D G E R U S I U V E N I S.

---

§ 1.

APOSTOLI FRISIAE, QUI ANTE LUDGERI AETATEM VIXERUNT,  
AC PUGNA, FRISIOS INTER ET FRANCOB DECERTATA.

Historiam temporis illius spatii nobilissimi, quo fides christiana est allata in patriam nostram, quum plene enarrare nostrum propositum esse non possit, non nisi in universum illustrabimus, atque exponemus, quacnam a celeberrimis euangelii praedicatoribus facta sint; eo quidem consilio, ut dilucide appareat, quae pars Frisiae iam ante Ludgeri aetatem ad fidem christianam conversa fuerit. Ita ipsa res nos ad Ludgerum adducet. Interim tamen simul de bello, Frisios inter et Francos gesto, mentionem faciemus <sup>1</sup>).

Dagobertus I, cum Clotario II, patre, bellum gerens adversus Saxones, Frisios quoque, horum socios, vicit atque etiam Ultraicetum cepit, qui locus, ad Rhenum situs, iam inde a Romanorum temporibus, maximi fuerat momenti et ad commercium et ad bellum, quod continuo iis temporibus gerebatur. Quo loco potius, Dagobertus ibi oratorium construxit, quod Cuniberti, Coloniae episcopi, curae tradidit, ea conditione, ut hic Frisios ad christianam religionem converteret. Sed sive episcopus parum operae dederit rei, sive Frisii obstinatius eius inceptis restiterint, Willibrordi tempore Dagoberti oratorium dirutum et solo acquatatum erat <sup>2</sup>).

<sup>1</sup>) De hoc bello cfr. Ubbo Emmius: *Rer. Fris. hist.* Lib. III, IV, p. 45 seqq. — J. P. Arend: *Alg. Gesch. d. Vaderl.* I, p. 288 seqq. — de Geer: *De strijd der Friezen en Franken*, 1850.

<sup>2</sup>) Vid. Bonifacii *epist.* 94; ed. Giles, Londini, 1844.

Postea primi conatus Frisios convertendi in partibus meridionalibus terrae suscepti sunt. In Gandavi enim regionibus euangelium nunciavit Amandus, qui, sedem episcopalem Traiecti ad Mosam inter annos 647—649 nactus, eodem munere functus est ad Scaldis ripas in Calloo insula († 684)<sup>1)</sup>. Eo autem tempore in Belgis praedicavit Livinus, Augustini abbatis, discipulus, qui, ex Britannia ortus, ut fertur, in Zelandiam penetravit, donec anno 657 martyrii corona ornaretur<sup>2)</sup>. Admodum porro memoratu dignus est Eligius<sup>3)</sup>, faber ille argentarius, qui, anno 641 episcopus Noviomensis electus, ab eo inde tempore in Frisiam australem Christi doctrinam introducere studuit, versans „inter Flandrenses atque Andoverpenses, Frisiones et Saevos et barbaros quosque circa maris litora degentes” († 659). Quamquam vero tres illi viri, ut diximus, inter Frisios quoque operam dederunt, tamen quum maximam partem in Scaldis regionibus degerent, inter Belgii potius apostolos enumerandi sunt, eo magis, quoniam in ipsa Frisia parum profecerunt. Atqui paulo post hanc terram intrarunt viri, qui non ex Francia, sed ex Anglia eo profecti, armis fortasse humilioribus infirmioribusque, at successu sine dubio meliore, quam Franci illi, pro re christiana proelium essent inituri, vineamque Domini exculturi, quae tam pulchros fructus promitteret.

Nam medio saeculo septimo, Adgildo regnum Frisiae, i. e. totius inter Visurgim et Sinclalam (het Zwin) regionis, cum pace et quiete regente, Wilfridus<sup>4)</sup>, quem Alfred, rex Northumbriae, archiepiscopum Eboracensem creaverat, navi appulit ad litora Frisiae. Et sede enim remotus ab Egfrido, Alfredi successore, Romam adire in animo habuit, ut coram papa rem suam ageret; sed venti adversi eum ad Frisiae

1) Cf. Rettberg, o. l. II, p. 506 seqq. Royaards, o. l. p. 107 seqq.

2) Cf. Rettberg, o. l. II, p. 509 seqq. Royaards, o. l. p. 108.

3) Cf. Rettberg, o. l. II, p. 508. Royaards, o. l. p. 109 seqq.

4) De quo cf. Beda: *Hist. eccles. Angl.* Lib. V, c. 29. Coloniae Agrippinae, 1612, p. 135. — Rettberg, o. l. II, p. 511 seqq. — Royaards, o. l. p. 129 seqq.

oras duxerunt. Hic ab Adgildo hospitaliter acceptus, per hiemem anni 677—678 in aula regis mansit, atque simul, data occasione, multos Frisios ad fidem convertit baptizavitque. Quorum exemplum rex ipse non secutus est, quamquam non restitit conatibus Wilfridi, quem plurimi faciebat, ita ut ille magnopere eius amicitia frueretur; quod praesertim apparuit ex indignatione, qua rex nuntios Ebroini, Neustriae maioris domus, Wilfridi inimici, demisit, quum, ut archiepiscopus interficeretur, petiissent. Quem favorem Wilfridus debuit amicitiae Dagoberti II, Austrasiae regis, quem olim a Grimoaldo in Hiberniam expulsus, in pristinam dignitatem restituerat. — Anno deinde 678 ex Frisia profectus, nunquam, ut videtur, ille eo rediit. Munus enim, quo fungebatur, multas ei praebens molestias, eum prohibuit, quominus opus, in Frisia instauratum, ad finem perduceret.

Per breve igitur tempus Wilfridus in nostra patria degit; sed nihilominus labor eius haud infructuosus fuisse dicendus est, licet profiteamur, Bedae narrationem<sup>1)</sup> nimis fucosam esse. E prospero tamen successu patet, Frisios minime a fide christiana alienos fuisse. Et revera multa aderant apud eos, quae novae religioni propagandae prodesse poterant. Omnia haec enumerare non possumus; tantummodo in memoriam revocamus eorum libertatis studium, castimoniam, feminarum monogamiaeque observantiam; monotheismi vestigia, quae inveniuntur in eorum mythologia; fidemque, quam habuerunt divinae providentiae animique immortalitatis. Contra animadvertendum est, novam religionem novos etiam mores novasque institutiones secum attulisse, et quod maxime hic valet, euangelii praedicationem atque propagationem semper enim Francorum gladiis ac dominatione iunctam fuisse. Frisii autem, sui iuris esse omnium carissimum habentes, magis magisque a religione christiana abhorrebant; horum Christi nominis osorum numerus accrevit,

---

1) Beda, l.l. „Praedicabat eis Christum, et multa eorum millia verbo veritatis instituens,” cct.

quum anno 679 Radbodus Adgildo in regno Frisiae successit. Ille enim odium acerrimum in Francos habuit, intensisque viribus horum progressibus terminum statuere studuit, quo factum, ut rei fert natura, ut fructus laboris Wilfridi in dies minueretur. Accedit, quod tempus rerumque publicarum conditio Radbodi consiliis quam maxime favebant, quoniam inter Ebroinum et Pipinum Heristallum, Francorum principes, lites ortae erant acerrimae; quibus rex Frisiae utens, exercitum produxit, Ultraicetum cepit, ac, praesidiis hostium longius propulsis, qui priores Frisiae usque ad Sincfalum fuerant, fines restauravit. Sed Ebroino anno 687 proelio apud Testros devicto, Pipinus milites contra Radbodum duxit; atque hunc fortiter repugnantem tandem sibi submitit, Frisiis omnia, quae citra Rhenum sita obsidebant, ademit et pacem fecit cum rege ea conditione, ut ipsi obsides mitteret nec amplius, quominus subditi sui ad Christum converterentur, prohiberet.

Itaque quum hac de re anno 692 inter eos convenisset, Frisia apostolis non caruit. Wilfrido enim profecto, alii deinceps exstiterunt, qui Christi fidei inter Frisios propagandae operam dare non recusarunt. Quorum principem dicimus Wigbertum, Anglum illum, qui anno, ut videtur, 692 in Frisiam adventit. Causa, ob quam patriam reliquit, haec fuit. Anno enim 664 Egbertus <sup>1)</sup>, Anglus nobili genere ortus et monachus in Rathmelfigi, monasterio Hibernico, degens, quum pestilentia conflictatus convalesceret, votum susceperat, se, ex Anglia profectum, numquam in patriam rediturum, sed reliquam vitam ita peracturum, ut euangelium Christi populis gentilibus annuntiaret. Cuius voti solvendi gratia, anno 692 in eam iam erat, ut navem ascenderet, qua cum nonnullis sociis in Frisiam proficisceretur, quum frater quidam e monachis eum retinere cuius est, quum multis sermonibus ei persuadere studens, tum etiam ad visionem provocans, quam sibi

---

<sup>1)</sup> De Egberto vid. Bedae: o. l. Lib. III, cap. 27; V, cap. 10. — Cf. Rettberg: o. l. II, p. 513; Royaards: o. l. p. 155 seqq.

contigisse narravit. Cuius verbis auditis, et magis etiam orta tempestate, Egbertus sibi persuaderi passus est, ab itinere sibi esse abstinendum; et domi mansit, quamquam non desiit alios ad opus illud instigare, quod ipsi perficere non liceret. Wigbertus <sup>1)</sup> noster eius adhortationi obtemperavit, et anno, supra commemorato, in Frisiam se contulit, ubi a Radbodo, qui, victus a Pipino, Francos timebat, benigne est receptus. At per duos tantum annos in ea regione moratus est, quumque nullos fructus caperet ex labore suo, anno 694 Frisiam reliquit.

Eodem fere tempore, quo Wigbertus euangelii causam inter Frisios frustra promovere studebat, ad eos vir ille pervenit nobilissimus, qui κατ' ἐξοχήν Frisiorum apostolus habendus est, Willibrordum <sup>2)</sup> dico, Anglum, optime de patria nostra deque universa re christiana meritum. Eius igitur vitam paullo accuratius exponamus. — Anno circiter 657 in Northumbria genere Anglo-Saxonico natus, Willibrordus aetate adhuc puerili a Wilgiso patre in monasterium Hripense (Rippon) missus est, ubi a monachis doceretur. Hic inter alios etiam Wilfrido archiepiscopo, de quo supra egimus, usus (nam huius illud erat monasterium <sup>3)</sup>), anno aetatis vicesimo in Hiberniam se contulit, ubi consuetudo ei fuit cum Egberto, a quo admonitus, anno circiter 693 cum undecim sociis Frisios adiit <sup>4)</sup>, quos ad euangelium converteret. Huc vero quum advenisset, statim, teste Beda <sup>5)</sup>, Romam profectus est, ut missionem papali auctoritate sancitam obtineret et sanctorum reliquias acciperet. Quum igitur post breve tempus ex Italia rediisset, in inferiore Frisiae parte, Rhenum inter et Sinfalam, omnes vires intendit, ut fana gentilium destrueret,

1) De Wigberto vid. Beda: o. l. Lib. V, cap. 10 11. — Cf. Rettberg: o. l. II, p. 513; Royaards: o. l. p. 158.

2) De eo vid. Alenuus: *vita Willibrordi*, apud Surium, o. l. VI; Beda: o. l. Lib. V, cap. 11, 12. — Cf. W. Bossehaerts: *de primis veteris Frisiae apostolis*, Mechliniae 1650. — Rettberg: o. l. II, § 78. — Royaards: o. l. p. 159 seqq.

3) Vid. Beda: o. l. Lib. V, cap. 20.

4) Vid. Beda: o. l. Lib. V, cap. 11. 5) o. l. Lib. V, cap. 12.

Pipino curante et adiuvante, Beda et Alcuino testibus <sup>1)</sup>, anno 696 iterum Romam adiit, ubi a Sergio papa „archiepiscopus Frisiorum,” ordinatus est, Clementis ei imposito nomine. Ad quam ordinationem ipse Pipinus eum incitavit quum hic, si Frisiorum regiones devictae ecclesiae traditae essent, Francorum potestatem confirmatum iri speraret. Itaque Willibrordus, ex Italia redux, non solum regiones usque ad Rhenum patentes, sed etiam Frisiae partes superiores sibi euangelizandas elegit, quae adhuc sui erant iuris. Iam vero Francorum arma longius penetrarunt; et Radbodus, post varia proelia tandem apud Dorestadum initio anni 697 prorsus devictus, Ultraiecto deperdito, in internas Frisiae partes recedere coactus est. Mox Theodesuindae, Radbodi filiae, matrimonium cum Grimoaldo, Pipini filio, initum, pacem inter utrumque regem confirmavit ita, ut impedimenta removerentur, quae, quominus euangelii causa cresceret, prohibuerant. Quo facto, etiam Willibrordo longius quam antea procedere licuit, quin etiam in Daniam se contulit; sed spe frustratus, quum nullum omnino fructum ex ea peregrinatione perciperet, non multo post in Frisiam rediit.

Sic res sese habuerunt usque ad annum 714. Willibrordus interea eiusque socii per diversas Frisiae regiones euangelium nunciare ac propagare perrexerunt, pluresque ecclesias aedificarunt. Anno autem 714 triennium sive quadrennium incepit confusionis universae, quae ecclesiae Frisiae et conatibus Willibrordi non nocere non poterant. Eo enim anno Grimoaldus a Rangario, Frisio quodam, interfectus est, Radbodo, ut fertur, huius facinoris haud ignaro, quamquam ea res vix probari potest. Pipinus quoque eodem obiit anno eiusque vidua, Plectrudis, Theodoaldi filii loco regnum in se suscepit. At Neustria, minime patiens feminam imperii tenere clavum, Raganfridum ducem creavit, itemque Austrasiae proceres ad Carolum Martellum, Pipini et Alpaidis filium, imperium detulerunt. Inde maximae inter Francos

<sup>1)</sup> Beda: l. 1. — Alcuinus: o. 1. cap. 7.

hites ortae, quibus Radbodus fore, ut uti sibi liceret, sperans, quam praesertim etiam Raganfridus Frisiorum auxilium contra Plectrudem peteret, copiis collectis, apostolos e regno expulit, ecclesias destruxit pristinumque idolorum cultum instauravit. Mox Traiectum etiam Dorestadumque recepit, deinde Coloniam Agrippinam adiit, ut cum Raganfridi copias suas coniungeret. Ibi vero Martellus hosti perfido substitit, et Frisiorum rex, re quidem infecta, sed praeda onustus, in patriam rediit. Inde saepius in Austrasiam irruit, agros populans, monasteria ecclesiasque destruens, donec anno 717 Carolus, Raganfrido ceterisque hostibus victis, etiam in Radbodum exercitum duxit, regemque, duobus acerrimis proeliis ad Dorestadum et ad Ultraiectum victum, denuo sibi submitit.

Radbodo subiecto, Willibrordus ex monasterio Efterna-chensi, quo anno 714 se contulerat, rediit et usque ad mortem quiete in Frisia laboravit, ac sine ullo metu opus, quod pio animo inceperat, perficere potuit. Nec mirum. Nam Radbodus, prorsus fractus a Francis, anno 719 diem supremum obiit eiusque successor, Adgildus, vir pacificus, propagationi euangelii nulla intulit impedimenta. Cave tamen, ne omnino bellum desiisse putes; multi enim adhuc in Frisiis erant, qui Radbodi spiritu instigati, nullam sibi cum priscorum deorum eversoribus pacem esse servandam, nullam fidem victoribus sordidis esse habendam, sed Francorum tyrannidi resistendum censerent. Quare, etsi anno 730 erant victi, brevi tamen post, dum Martellus bellum contra Arabes gerit, Poppone quodam duce, iterum defecerunt. Cuius rei nuntio accepto, Carolus classem ornavit, et in intimam Frisiam usque ad Mare Medium (Middenzee), idolorum cultus meditullium et sedem, penetravit. Acerrimum proclium commissum est, sed Franci victores exstiterunt, Poppone multisque viris nobilibus interfectis. — Ab eo inde tempore (734 s. 736) Frisiorum vires prorsus fractae erant.

Brevi post mortuus est Adgildus, et etiam Willibrordus anno 739 diem suum obiit. Ad cuius laborem apostolicum

si respicimus, dilucide apparet, illum fuisse, qui, una cum sociis suis, fidem christianam in parte Frisiae inferiore, Sincalam inter et Flevum, stabiliverit, ita ut haec regio anno 739 fidei particeps fuisse dici possit. Atqui etiam Flevum Willibrordus traiecit gentilibusque, in ea regione habitantibus, cuangelii praeco exstitit; an vero ibi multos fructus receperit ex labore suo, merito dubitari potest, quam postea Lebuinus trans Isalam, Willehadus autem et Ludgerus inter Isalam et Laubachos (Lauwers) multos invenirent, qui adhuc pristinos deos colcbant. Quid? quod Martellus plurima idolorum fana in iisdem regionibus destruxit, Bonifacius autem ab eisdem Frisiae partis incolis postea est necatus.

Ceterum Willibrordum Frisiorum primum fuisse archiepiscopum, non ut vulgo affirmant, episcopum Ultraiectinum hinc annotare lubet. Originem huius erroris in eo solum sitam esse putamus (nec alia exstat ratio), quod fortuito Willibrordus sedem dioecesis suae Traiecti habuerit. In ea urbe duas ecclesias aedificavit, alteram in honorem S. Salvatoris, S. Martini alteram, quarum hanc super fundamentis Dagoberti oratorii fundavit <sup>1)</sup>. — Quis autem Willibrordi fuerit successor, pro certo affirmare non possumus; id tantum scimus Carlomanum, Caroli Martelli filium, successorem aliquem eligere Bonifacium iussisse <sup>2)</sup>; at nihil de hac electione constat. De Eobano cogitari potest, cuius nomen saepius occurrit in Bonifacii epistolis, quique coepiscopus (var. chorepiscopus) dicitur, et eodem, quo Bonifacius, casu martyrii corona ornatus est; vel etiam de Dadano, qui nonnullis synodis interfuisse legitur. Attamen, ut dixi, non liquet <sup>3)</sup>.

Saepius iam de Bonifacio verbo monuimus; uberius de eo agamus, necesse est, quippe qui magnopere de patria nostra meritus sit. Bonifacius <sup>4)</sup> igitur, proprie Winfridus nomina-

1) Vid. Bonifacii *epist.* 94.

2) *Ibid.*

3) Rettberg: o. l. II, p. 529.

4) De hoc i. a. vid. Willibaldi *vita Bonifacii*, apud Pertz: o. l. II, p. 331 seqq; *Bonifacii epistolae*, saepius editae. — Cf. etiam Seiters: *Bonifacius, der Apostel der Deutschen*, Mainz, 1845; Rettberg: o. l. passim.



tus, anno circiter 680 Credioduni (Kirton), in oppido Angliae natus, anno aetatis tricesimo presbyter ordinatus est. Sex annis post gentiles ad Christi fidem convertere cupiens, in Frisiam profectus Radbodum vidit, eumque christianae fidei fautorem reddere studuit, sed frustra. Redux in patriam, in monasterium Nutchellense se contulit, ubi usque ad annum 718 moratus, cum Daniëlis episcopi literis commendaticiiis Romam adiit, ut auctoritatem papalem a Gregorio II obtineret. Deinde „missus S. Petri,” quod nomen papa ei dederat, in Germania religioni christianae propagandae et stabiliendae operam dedit, donec, post Radbodum a Carolo Martello devictum, denuo in Frisiam veniret, et per aliquot annos eundem, quem Willibrordus, sibi finem et scopum proposuit. Hic virum pium plurimi fecit, quod inde patet praesertim, quod eum in coëpiscopatum assumere voluit. Recusavit tamen Bonifacius, et, quum anno 723 Romae episcopus esset ordinatus, in Germaniam rediit, ubi usque ad ultimam suae vitae periodum mansit. Haec autem ultima periodus nostra imprimis attentione dignissima est. Senex enim, munere deposito, Lullum, discipulum suum, successorem in episcopatu Moguntiaco elegit; ipse autem in Frisiam rediit, ubi tunc certamen acerrimum ortum erat gentiles inter et christianos, quum Radbodus rex, qui Adgildo iuniori in regno successerat, pristino cultui faveret, quique diis facere hostiis negarent, eos omnes odio acerrimo persequeretur. Nihilominus Bonifacius ab euangelio praedicando non abstinuit, nec etiam in eas regiones penetrare reformidavit, quae inter Flevum et Laubachi sitae, paganismo superstiti sedes erant firmissimae. Nec fructu caruit laboris: multos enim ad fidem convertit, multis etiam prima humanitatis semina impertitus est. Praeterea episcopatus Ultraicctensi bene consuluit, qui revera omnino auxilio indiguit. Nam episcopus Coloniensis, provocans ad mandatum Dagoberti I regis, qui episcopos Coloniae Agrippinae Frisiis Christi lucem afferre iusserat, curam et regimen ecclesiae Frisiae sibi vindicavit, neque alium episcopum Frisiorum agnovit. At Bonifacius papae

epistolam misit, per quam arbitrium papale invocavit, simul autem indicavit episcopum Coloniensem numquam operam dedisse Frisiis ad fidem convertendis. Lites tamen, inde exortae, papa componere non potuit, nec Bonifacio vivo, illae desuisse videntur; quamobrem iam rem silentio praetermittimus, infra uberius eandem tractaturi.

Anni 755 aestate Bonifacius denuo in Frisiam se contulit, ubi, postquam saepius praedicavit, die 5 Junii iuxta Doccum a Frisiis gentilibus, Radbodo, ut fertur, instigante, cum multis discipulis interfectus est. Non amplius hîc de eo agemus, nam infra etiam nonnumquam nobis occurret. Simul vero etiam brevi nostrae enarrationi finem facimus<sup>1)</sup>, quoniam ad terminos pervenerimus, quibus ultima Frisiae conversionis periodus incipit, id tempus dico, quo Ludgerus euangelium praedicavit. Sed antequam ad huius vitae expositionem transimus, id omnino nostrum est, ut rebus repetitis paucis in memoriam revocemus, quae patriae nostrae pars, ante Ludgeri aetatem, religionem christianam assumpsisset. Itaque legum Frisiorum<sup>2)</sup> divisionem accipientes, quae nos docent, totam terram divisam fuisse in tres partes, quarum aliam inter Visurgim et Laubachos sitam fuisse, aliam inter Laubachos et Flevum, tertiam denique inter Flevum et Sincfalam, hoc teneamus, rem christianam inter Sincfalam et Flevum stabilitam fuisse, in parte autem, quae inter Flevum et Laubachos sita erat, operam dedisse quidem Willibrordum iam ac Bonifacium, sed ita ut eorum labor, minime peractus, in illa regione ad finem perducendus esset Willehado, Lebuino, Ludgero. De hoc igitur apostolo iam accuratius videamus.

---

1) Neque de Willibrordi sociis eorumque labore, neque de Wulfrano Radbodique baptismo egimus, et quia multa non procul omni dubio sunt, et quia brevem nostram narrationem non nisi introitum haberi volumus argumenti nostri.

2) *Oude Friesche Wetten. Uitgegeven door het Friesch Genootschap van Geschied-, Oudheid- en Taalkunde. Leeuwarden, 1851, t. II, p. 345 seqq.*

§ 2.

LUDGERI STIRPS.

Ludgeri vitae enarrationi disquisitio praeceat de stirpe ac parentibus eius, unde pateat, quo loco natus, a quibus maioribus ortus, qua denique ratione educatus quave a parentibus ac propinquis imbutus mente, is ecclesiae Nederlandicae fieri potuerit, qualis revera fuit.

Stirps Ludgeri iam primis euangelii in patriam nostram introducti temporibus fidei christianae addicta erat. Exeunte enim saeculo septimo atque incunte octavo in Frisia vixit Wursingus, cognominatus Ado, nobili loco natus, avus Ludgeri. Prae aliis hic praeclaris virtutibus excelluit, nam „adiutor erat pauperum, defensor oppressorum, in iudicio iustus”<sup>1)</sup>. Ipsa autem haec iustitia Radbodum regem irritavit, quippe qui saepius nonnullos interfici iubere, alios in exilium mittere soleret, ut eorum bona capesseret. Sic et Wursingum de medio tollere studuit, quod hic se regis facta contemnere palam ostenderet. Tamque interitus eius Frisiorum rex mandatum dederat, quum Wursingus, ob iustitiam suam et mentem aequam a pluribus dilectus, de periculo instante est praemonitus. Vir nobilis igitur, quum regis irae cedere, quam resistere potius haberet, cum Adalgarda uxore, Nothgrimo filio nonnullisque famulis, Frisiam reliquit et in Francorum regnum se contulit ad Grimoaldum, Pipini Heristalli filium, Neustriac ducem<sup>2)</sup>. A quo benigne receptus, Wursingus deinde sub Francorum patrocínio vixit huiusque populi religionem mox cum tota familia assumpsit et baptizatus est. In hoc eius exsilio alter filius, Thiatgrimi nomine, et filiae novem ei nati sunt; harum vero sex, ut et Adalgarda, mortuae sunt, dum adhuc in Neustria degebat Wursingus, qui, post uxoris obitum, iterum uxorem ducere noluit<sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> Alfridus: *vita Ludgeri*, Lib. I, cap. 1.

<sup>2)</sup> *Ibid.* cap. 2.

<sup>3)</sup> *Ibid.* cap. 2.

Radbodus autem anno 713 nuntios misit ad Wursingum, qui eum ad reditum in patriam excitarent atque ei annuntiarent, regem omnia ei redditurum, quae in Frisia possedisset. Quodsi quaerimus, quidnam saevi regis animum lenierit, non dubitandum videtur, quin morbus, quo sex annis ante mortem laboravit Radbodus, effecerit, ut eius animus prorsus mutaretur. Wursingus tamen, Radbodi perfidiae, ut videtur, memor, initio quidem ei roganti non obedivit; quum vero rex iterum mitteret nuntios, qui virum nobilem rogarent, ut, si ipse venire nollet, filium saltem redire sineret, Wursingus precibus Radbodi cessit et Thiatgrinum, filium iuniorem, in Frisiam remisit, quia praesertim rex significaverat, se omnia, quae patri promississet, filio daturum. Quibus promissis Radbodus stetit; nam Thiatgrinus, in Frisiam redux, patris hereditate recepta, in magno honore deinde a rege habebatur <sup>1)</sup>).

Ut supra vidimus, post mortem Radbodi, euangelii acerrimi illius inimici, Willibrordus eiusque socii in Frisiam redierunt et intentis viribus, voce et lateribus Christi fidem praedicaunt. Quorum labori favit Carolus Martellus, victor Frisiorum gentilium, qui etiam Wursingum nostrum in patriam eius remisit, eo consilio, ut viri a Frisiis dilecti atque Francorum amicissimi exemplo et ope, quum fidei christianae causa floreret, tum etiam horum imperium stabiliretur. Sic Wursingus post longum exsilium tandem in patriam rediit, et, redditis possessionibus omnibus, in loco habitavit, qui dicebatur Suabsna <sup>2)</sup>, non procul a Traiecto <sup>3)</sup>. Ibi Willibrordi amicus et adiutor exstitit; nec Wursingus solus, sed affines eius omnes et huius Frisiae apostoli, et Bonifacii postea consuetudine familiaritateque usi sunt <sup>4)</sup>. Neve hanc consue-

<sup>1)</sup> Altfriidus: *vita Ludgeri*, Lib. I, cap. 3.

<sup>2)</sup> Suabsna (var. Sualisna, Suahsna). — Cf. L. Ph. C. van den Bergh: *Handb. der Mittel Nederl. Geographie*, Leiden 1852, p. 169, qui hunc locum eundem esse coniecit, qui hodie Zuilen, ad Feltam fluvium, dicitur.

<sup>3)</sup> Altfriidus: o. l. Lib. I, cap. 4.

<sup>4)</sup> Ibid.

tudinem Bonifacium inter et Wursingum existisse miremur. Christianus enim Wursingus fuit et, quod minime est praetermittendum, vir nobilis et ingenuus. Nobiles autem, quin etiam reges saepius primum petiisse apostolos, quum gentilibus euangelium praedicarent, tum vero homines adisse de plebe et inferiore loco natos, ex multis indiciis probatur <sup>1)</sup>).

Thiatgrimus, patre mortuo, uxorem duxit Liafburcham, Nothradi cuiusdam et Adalburgae filiam, quae statim post horam natalem morti crepta est. Quae res memoratu dignissima est, quum certiores nos faciat de Frisiorum paganorum ingenio moribusque, ac unicum, ni fallor, sit sui generis exemplum, quod ex eorum historia afferri possit. Adalburgae enim, iam dudum aequae ac coniux fidei christianae addictae, socrus erat, quae, pristini cultus tenacissima, deorum irac tribuendum esse existimabat, quod uxor Nothrado non filium, sed non nisi filias peperit. Quare illa, post Liafburcham natam, quo deos propitios redderet, infantem necari iussit servisque tradidit, qui statim eam, antequam mammam matris suxisset, interficerent; nam Frisiis erat mos, ut, si quando infantem necare vellent, id fieri deberet, antequam hic ullo cibo usus esset. Servi autem, quibus filiola tradita esset, dominae mandatum executuri, infantem in situlam, aqua impletam, iecerunt; iam vero Liafburcha, extentis brachiolis, situlae marginem ambobus manibus apprehendit et tamdiu lacrimans vociferata est et luctata, donec femina vicina, illuc veniens, ex aqua eam traxit, domum quam celerrime secum portavit ibique infantem melle nutrit. Quum igitur famuli venirent, ut Liafburcham reciperent, femina, populi sui legis memor, iis labia ostendit infantis, mel adhuc sugentis. Hi ergo, aviae saevae mandatum perfici non posse intelligentes, abierunt ac infantem curae feminae reliquerunt, hoc solum petentes, ne cuiquam alio, quae facta essent, narraret. Liafburcha autem clam a femina vicina educata est, Adalburga matre sola conscia, ad quam post mortem demum aviae filia

---

<sup>1)</sup> Cf. Rettberg: o. l. II, p. 577 seqq.

rediit <sup>1)</sup>. — Illam igitur Thiatgrimus in matrimonium duxit; quinam vero liberi illis nati sint, paragrafo tertia videamus.

---

§ 3.

LUDGERI PUERITIA.

Altfrius, in operis sui prologo mentionem faciens de iis, ex quorum testimoniis Ludgeri vitae descriptionem hauserat, inter alios Hildigrimum etiam et Heriburgam dicit, illum fratrem, hanc sororem Ludgeri. Ex his constat, Thiatgrimo et Liafburchae (nam hi Ludgeri fuerunt parentes) tres liberos fuisse; quamquam genealogia <sup>2)</sup>, in monasterio Nutlo-nensi (Notteln) reperta, cuius tamen auctoritas non omni dubio maior est, alteram etiam filiam nominat Mechtildin, quam uxorem Roibarti, comitis cuiusdam, fuisse ibi legimus et matrem Gerfridi, Thiatgrimi, Altfridi, episcoporum. Quatenus vero haec omnia pro certo sint habenda, difficile est dictu; traditio fortasse pauca, quae in Ludgeri *visis* memorabantur, additamentis supplere conata est. In fontibus autem nostris nulla Mechtildis sit mentio, quare eam silentio praeterimus; de Hildigrimo eiusque sorore Heriburga saepius sermo crit.

Paucis diebus, antequam Ludgerus natus est, pater eius post longam absentiam ex itinere rediit, et quum Liafburcha, coniugis adventu audito, obviam ei ire cuperet, tantopere festinavit, ut humum caderet palusque magna cum vi in eius latus penetraret. Exterriti sunt Thiatgrimus et omnes,

---

<sup>1)</sup> Altfrius: o. l. Lib. I, cap. 6, 7. — Simile quid accidit Odiliae, abbatisae Hoemburgensi, quam caecam natum Ethico, pater, necare praeceperat; Behresinda vero mater filiam a femina quadam in Palmam, monasterium Burgundicum, transferendam curavit. Cf. Rettberg: o. l. II, p. 76.

<sup>2)</sup> Genealogia haec, ab A. Wilkens: *Lebensgesch. der h. Gerburgis*, edita, etiam invenitur apud L. von Bornstedt: o. l. p. 237, cuius libro haec in re usus sum.

qui aderant, timuerunt, ne uxor praegnans, aequae ac infans, moreretur; sed haec, feliciter sanata, brevi post filium peperit integrum neque ulla laesione affectum, qui, paulo post baptizatus, Ludgeri nomen accepit <sup>1)</sup>.

De loco eius natali disputatum est. Nonnulli <sup>2)</sup> eo loco putant, qui hodie Wierum dicitur, fortasse provocantes ad Alfridum <sup>3)</sup>, qui narrat, Ludgerum „in loco, qui vocatur Werdina (var. Werina, Werthina) in hereditate paterna construxisse ecclesiam.” Sed quum nullum aliud adsit testimonium, et praeterea tenendum sit, Werdinam locum, in Hugmerchi pago, eo tempore adhuc a Frisiis gentilibus habitatum fuisse, qui postea ab ipso Ludgero ad fidem christianam conversi sunt, res plane incerta redditur. Meliore successu de tempore Ludgeri natali potest inquiri, quamquam ipse annus nusquam memoratur. Nimirum in Gregorii abbatis vita, a Ludgero memoriae tradita, hic de Bonifacio martyre ita scribit: „quem oculis meis ipse vidi, candidum canitie et decrepitem senectute, plenum virtutibus et vitae meritis” <sup>4)</sup>. E quibus verbis dilucide apparet, Ludgerum puerum in domo parentum <sup>5)</sup> Bonifacium vidisse. Hic autem anno 755 martyrii corona ornatus est, quare, si Ludgerum anno circiter 745 natum esse coniecimus, haec coniectura, ne cui temeraria aut audacior videatur, non vereor.

Quod ad aetatem eius puerilem spectat, nonnisi pauca de ea memoriae prodita sunt; quae vero memorantur, satis

1) Alfridus: o. l. Lib. I, c. 8. — Cincinnius fingit, Ludgerum a Willibrordo baptizatum et ab Ida ducissa de sacro fonte, levatum esse; sic etiam L. von Bornstedt: o. l. p. 63. Willibrordus tamen iam mortem obiit, et Ida eo tempore nondum vixit, vel saltem puella erat.

2) Van Heussen- van Rijn : *Oud. van Friesland*, I, p. 416.

3) o. l. Lib. II, c. 3.

4) *Greg. vita*, c. 14.

5) Si quaeritur, ubi Ludgerus Bonifacium viderit, in domo parentum, an in schola Ultraiectina, illud potissimum statuendum esse videtur; nam Alfridus: o. l. Lib. I, c. 9, narrat, Ludgerum Gregorio, discipulo et successore Bonifacii, magistro usum esse. Unde Bonifacium iam ante martyrem factum esse, quam Ludgerus Traiectum adierit intelligi sane potest.

estendant, ei iam puero animum illum gravem et pium fuisse, quo postea, quum ad virilem aetatem pervenisset, prae aliis excelluit. A ludo puerorum abstinere solebat eo consilio, ut pelliculas corticesque arborum collectas, quasi libellos, consueret. Et dum liquor qualiscunque ei esset, scribere conabatur et nutrici suae cortices dare solebat, ab ea petens, ut utiles scilicet libros eos servaret. Quumque aliquando, quid fecisset, rogaretur, puer se aut composuisse libros, aut etiam legisse, respondit. Atque iterum interrogatus: „Quis igitur te docuit?“ „Deus,” inquit, „me docuit”<sup>1)</sup>.

Eodem ardore ductus, Ludgerus, iuvcnis factus, doctrinam ac scientiam inhiavit et viri cuiusdam insignis et celebris eruditione frui optavit; quare parentes filium in scholam Gregorii abbatis miserunt. Quo cum sequentes, simul de Gregorio, viro illo egregio, mentionem faciemus deque schola eius Ultraiectina.

---

§ 4.

LUDGERUS IN GREGORII ABBATIS SCHOLA DEGENS.

Ut iam animadvertimus, Ludgerus<sup>2)</sup> a parentibus rogatu suo in scholam Ultraiectensem missus est, cui id temporis praecrat Gregorius abbas, Bonifacii discipulus et successor. De ipsa schola nonnulla in medium proferre, quae nobis in fontibus obviam venerunt, omnino operae pretium erit<sup>3)</sup>. Quum autem haec schola ad clericorum Ultraiectinorum collegium pertineret, atque in ea clerici seniores iuniores docerent, simul, paucis tamen verbis, de clericorum institutio-

---

1) Alfridus: o. l. Lib. I, c. 8.

2) Ibid. c. 9.

3) De qua schola cf. H. M. A. I. van Asch van Wyck: *de instellingen van hooger onderwijs in Utrecht*, Utrecht, 1836, p. 8 seqq. — D. Buddingh: *Gesch. van opvoeding en onderwijs*, 's Hage, 1842, parte I, p. 5 seqq. — F. Cramer: *Gesch. der Erziehung in den Niederlanden*, Stralsund, 1843, p. 66—70.



nibus inde ab Augustini, episcopi Hipponensis, tempore mentionem facimus necesse est <sup>1)</sup>).

Augustinus primus scholas illas clericorum instituit in ecclesia occidentali, quum regulas monachorum ad communem clericorum vitam referret. „Factus presbyter,” inquit Possidius <sup>2)</sup>), „monasterium intra ecclesiam mox instituit, et cum Dei servis vivere coepit secundum modum et regulam sub sanctis apostolis constitutam. Maxime ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed ut iis essent omnia communia, et distribueretur unicuique, prout cuique opus erat; quod iam ipse prior fecerat, dum de transmarinis ad sua remeasset.... Vestis eius et calceamenta et lectualia ex moderato et competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiceta plurimum.... Cum ipso semper clerici una etiam domo ac mensa, sumptibusque communibus alebantur et vestiebantur.” Augustini igitur institutio forma convenit cum monasterio, ceterum tamen clericorum seminarium fuit, cuius auctor, quum episcopus factus esset, se nullum clericum ordinaturum declaravit, qui non in suo seminario didicisset.

Augustini exemplum mox alii secuti sunt, tam ii, qui ex eius seminario profecti, postea episcopi ordinabantur (quos Possidius decem commemorat), quam alii episcopi Africani, qui mox utilem eam esse institutionem sibi persuaserunt. Ac tum demum admodum illa instituta florere coeperunt, quum Benedictus Nursinus vitam monachicam in ecclesia occidentali reformasset. Gregorius enim Magnus, qui Benedictum plurimi faciebat, in suo palatio seminarium condidit, ubi cum clericis saecularibus eruditissimis cumque monachis doctissimis communem vitam degit <sup>3)</sup>). Ex quo seminario plurimi viri profecti sunt, qui, a Gregorio in regiones alienas missi, alibi easdem institutiones erexerunt.

---

1) Cf. A. Theiner: *Gesch. der geistlichen Bildungsanstalten*, Mainz, 1835.

2) *Vita Augustini*, c. 5, 22, 25, quae invenitur in editione *Augustini sermonum*, quam curavit Ioannes Vlimmerius, Lovanii, 1564.

3) Ioannes Diaconus: *vita S. Gregorii*.

Inter quos ante omnes laudandi sunt Augustinus et Mellitus, Angliae apostoli, quibus Angli originem debent scholarum, quae monasteriis vulgo additae erant. Sic enim efficitur e Gregorii ad Augustinum abbatem scriptis epistolis, in quibus ille huic de clericorum communi vita et eruditione eadem dat praecepta, quae apud Augustinum episcopum inveniuntur et quae ipse secutus est.

In seminariis autem non solum clerici profectionis aetatis, verum etiam pueri erudiebantur; quod, etsi fortasse non ubique mos erat, conciliorum tamen Toletanorum decretis testibus, de scholis Hispanensibus sine ullo dubio valet. Concilium enim, anno 531 habitum, praescripsit: „de his, quos voluntas parentum a primis infantiae annis in clericatus officio vel monachalis posuit, pariter statuimus observandum, ut mox cum detonsi vel ministerio lectorum contraditi fuerint, in domo ecclesiae sub episcopali praesentia a praeposito sibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum aetatis suae annum compleverint, si gratia iis castitatis, Deo inspirante, placuerit, hi tamquam appetitores arctissimae vitae levissimo Dei iugo subdantur, ac primo subdiaconatus ministerium, probatione habita professionis suae, a vicesimo anno suscipiant.” Et quartum concilium Tolctanum, anni 633, iam duo distinxit seminariorum genera, maius eorum, qui iam presbyteri, diaconi et subdiaconi sub episcopi essent tutela, minus vero clericorum iuniorum, quibus presbyter praecesset.

Hae de clericorum scholarum origine sufficiant; restat, ut paulo uberius de schola Ultraiectina, cuius conditor erat Willibrordus, quae inquisivimus, exponamus. Vir ille egregius, in Anglia natus, ipse in monasterio eruditus erat, quare postea, quum Ultraiectum esset profectus, in hac urbe clericorum suorum, communem vitam degentium, simile instituit collegium iuxta ecclesiam S. Martini, a se aedificatam. Heda <sup>1)</sup>, de Willibrordi institutione mentionem faciens, recte scribit, illum ad S. Martini ecclesiam „ collocasse canonicos

---

<sup>1)</sup> W. Heda: *Hist. episcoporum Ultraiectensium*, Ultraiecti, 1642, p. 26.

coenobitales, hoc est, communem et apostolicam vivendi legem observantes. Non fuerant monachi; sed canonici, qui utique regulam divi Augustini aut beati Isidori tunc profitebantur per universas Germaniae et Galliae ecclesias." Willibrordum tamen monasteriorum exemplum et normam esse secutum in collegio suo instituendo, vel ex eo apparet, quod clerici Ultraiectenses monachi vel canonici dicuntur <sup>1)</sup>, tum etiam inde, quod Gregorius, Bonifacii discipulus, semper abbas audit. Quod memoratu dignissimum est, quum inde luce fiat clarius, Traiecti quoque, sic ut alibi, canonicorum collegium exstitisse, iam antequam Chrodegangi regula, in synodis constituta, eiusmodi institutiones per totam ecclesiam propagavit.

Collegio autem canonicorum Willibrordus seminarium addidit, quod iis erudiendis inserviret, qui ad clericatum essent destinati; atque haec scholae Ultraiectensis origo fuit. Numquam tamen disertis verbis Willibrordus huius scholae auctor fuisse dicitur, sed aliunde satis constat, eam ab illo originem duxisse. Ludgerus, v. c. de Willibrordo "cum discipulis suis" mentionem facit <sup>2)</sup>; Alfridus narrat, Adelburcham, Ludgeri aviam, utrumque suum fratrem Willibrordo commendasse, ut Domino eos nutriret, additque: "qui etiam primi omnium gentis Fresonum clericatus officium acceperunt. Willibrat in levitarum obiit gradu, Thyatbrat non pervenit ad gradum, sed ita in iuventute de hac luce migrabat" <sup>3)</sup>. Idem Alfridus nobis auctor est, Marchelmum, qui eodem, quo Lebuinus, tempore inter Saxones in Transisalaniam apostolus fuit, a Willibrordo "a pueritia sanctis instructum esse moribus" <sup>4)</sup>. Postremo Alcuinum <sup>5)</sup> citamus, qui Willibrordum, Danos ad Christum convertere frustra conatum esse, narrat, quia eorum rex "homo omni fera crudelior, omni lapide durior" esset; sed tamen ex Dania triginta pueros, quos erudiret, secum duxisse.

<sup>1)</sup> Vid. e. g. W. Heda: o. l. p. 36, 39.

<sup>2)</sup> *Greg. vita*, c. 14.

<sup>3)</sup> Alfridus: o. l. Lib. I, c. 5.

<sup>4)</sup> *Ibid.* c. 13.

<sup>5)</sup> *Vita Willibrordi*, c. 9, 10.

Ex hisce omnibus sine dubio nobis concludere licet, Willibrordum scholae Ultraiectinae conditorem fuisse. Post eius mortem Bonifacium scholam curasse, probabile est; sed iure dubitari potest, an unquam ipse huic scholae praefuerit<sup>1)</sup>. Eum in Germania nonnullarum scholarum auctorem fuisse, omnino constat; sed in patria nostra potius euangelium praedicasse, quam discipulos docuisse censendus est. Attamen optime de schola Ultraiectina eum meritum esse, prorsus assentiemur, si vel hoc unum spectabimus, quod Gregorium, discipulum suum, institutioni praefecit, quo duce et auctore schola magnopere floruit. Huius Gregorii abbatis vitam memoriae prodidit Ludgerus, qui et ipse eius discipulus, magistrum magno amplexus amore, multa de eius cum Bonifacio arcta consuetudine, multa de eius doctrina, multa etiam de eius in discipulos meritis enarrat. Longum est, totam hanc vitam hoc loco exponere, quare tantum illius partis mentionem faciemus, quae agit de Gregorii schola. Quam eo tempore claram et celebrem fuisse, ex hisce Ludgeri verbis luculenter apparet. „Non ex una qualibet gente,” inquit,

1) Profecto schola Ultraiectina inter huius aevi celeberrimas institutiones habenda est, quod e fontibus, praesertim e vita Gregorii abbatis, patet. Attamen omnino cavendum est, ne nimium huic scholae tribuatur, quod v. c. Buddingh: o. l. fecit, qui (p. 7) inter Willibrordi discipulos nominat Pipinum, Caroli Martelli filium, et in universum de Bonifacii in Willibrordi institutione labore nimis grandibus verbis mentionem facit. Scribit enim (ibid.): „Hij zelf (Bonifacius) nam in Utrecht meermalen aandeel aan dat onderwijs, en vormde er onderscheidene, voor dien tijd, uitstekende mannen, als Lullus, aartsbisschop van Mentz, Sturm, abt van Fulda, koning Karloman, en den abt Gregorius.” cet. Contra quae haec monemus: 1°. Bonifacium breviori tempore in his regionibus versatum esse, quam ut saepius Ultraiecti docere potuerit; 2°. nihil de eius in schola Ultraiectina institutione a Ludgero narrari; 3°. quod attinet ad Lullum et Sturmium, eos saltem in Germania Bonifacii discipulos fuisse, quorum prior magistri, in Frisiam proficiscentis, successor in episcopatu factus est; Sturmium vero eo tempore iam abbas Fuldensis erat; 4°. Gregorium, inde ab anno 722 Bonifacii assiduum socium et discipulum, in Germania eruditum esse, quumque postea cum magistro Frisiam adiret, ipsum iam aliquod tempus docuisse. — Idem error adest in: *Kalender voor de Protestanten in Nederland*, 1857, p. 57.

„Gregorii erant discipuli congregati, sed ex omnium vicinarum nationum floribus adunati; et tanta familiaritate et mansuetudine laetitiaque spirituali illuminati sunt, ut luce clarius daretur agnoscere, quia de uno patre spirituali et de una matre omnium, charitate, generati sunt et coadunati. Quidam enim eorum erant de nobili stirpe Francorum, quidam et de religiosa gente Anglorum, quidam vero et de novella Dei plantatione, diebus nostris inchoata, Fresonum et Saxonum, quidam autem et de Baguariis et Suevis, vel de quacunque natione et gente misisset eos Deus, quorum minimus ego sum, modicus et infirmus alumnus”<sup>1)</sup>. Quod ad discipulos attinet, eorum nonnulli nobis nomine noti sunt, ex quorum vitae historia, quid Gregorii institutio et Frisiae fuerit et alienis regionibus, perspicue discimus. Quam enim Ultraiecti clerici erudirentur, quorum multi postea nostratibus non solum, sed etiam aliis populis euangelium nuntiarent, schola ea honorificum locum in patriae nostrae historia occupat. Inter apostolos, qui ex ea prodierunt, celebratos invenimus Marchelmum sive Marcellinum, Ludgerum huiusque fratrem Hildigrimum; nam, etsi hac de re dubitari potest, verisimillimum tamen est, hunc eiusdem scholae discipulum fuisse<sup>2)</sup>. Ludgerus ipse postea, episcopus ordinatus, in dioecesis suae sede scholam condidit ad exemplum Ultraiectinae.

Si quis vero rogat, quid in ea schola discebatur, respondemus, docuisse Gregorium trivium et quadrivium, quorum illud grammaticam, rhetoricam et dialecticam, hoc arithmeticam, musicam, geometriam et astronomiam continebat.

1) *Greg. vita*, cap. 15.

2) v. Asch. van Wyck: o. l. coniecit Willehadum, primum episcopum Bremensem, Gregorii discipulum fuisse, cui sententiae haec ob causam non assentimur, quod Willehadus, iam presbyter ordinatus, Frisiam adierit. Vid. Anskarius: *vita Willehadi*, apud Pertz: o. l. II, p. 380. — Idem Wihouem, primum episcopum Osnabrückensem, Gregorii discipulum vocat additque, illum in episcopatus sede scholam, ad Ultraiectinae normam instituisse; quae tamen omnia testimoniis carent. Cf. J. Möser: *Osnabrückische Geschichte*, I, p. 287.

In scholis Anglicis enim, in quibus Willibrordus et Bonifacius eruditi erant, eadem discebantur, et schola Ultraiectina, ad Anglicarum normam instituta, harum exemplum etiam postea secuta est. Prae ceteris autem S. Scriptura legebatur, ac quibus S. Codicis libris Bonifacius uteretur, ex eius epistolis cognoscitur, in quibus de „sex profetis”, ei a Winberto abbate relictis, de Salomonis proverbiiis, de Pauli ad Romanos et Corinthios epistolis mentionem factam invenimus; praeterea in iisdem Gregorii Magni literae et Bedae nonnulla opera laudantur <sup>1)</sup>. Si ergo Bonifacio fuerunt scripta haec, facile Gregorius, eius discipulus, ea transcribere, iis uti et cum discipulis suis communicare potuit. Praeter haec omnia autem scholam Ultraiectinam discipulos etiam aptos reddidisse, ad gentiles convertendos et euangelium praedicandum, merito conicere licet, siquidem ecclesiae Frisiae conditionem debilem, magna nostrae patriae parte adhuc paganismus adhaerente, consideramus.

Quod attinet ad scholae Ultraiectinae bibliothecam, quamvis eius catalogus nobis perierit, sine dubio eam satis fuisse copiosam multisque abundasse libris manuscriptis affirmari licet. Non solum enim multi ibi aderant discipuli, qui manuscriptis transcribendis operam dare possent, sed etiam frequens cum Anglia commercium, ubi Eboraci pulcherrimam bibliothecam fuisse novimus, libros multos sibi comparandi scholae nostrae occasionem dedit. Gregorium abbatem, praeter scripta supra laudata, complures libros possedisse, auctor nobis est Ludgerus, qui ita scribit: „plurima volumina S. Scripturarum, largiente Domino, Romae acquisivit, et secum inde ad profectum proprium discipulorumque suorum, non modico labore, advexit domum” <sup>2)</sup>. Ipsum Ludgerum narrat Altfrius, ex Anglia domum rediisse, „habentem secum copiam librorum” <sup>3)</sup>, quod, licet potius ad ipsius Ludgeri scholam pertinuisse censeas, Ultraiectinae tamen quoque in-

<sup>1)</sup> Cf. Buddingh: l. l.

<sup>2)</sup> *Greg. vita*, cap. 12.

<sup>3)</sup> o. l. Lib. I, cap. 12.

tererat, quoniam ille noster, ut postea videbimus, per aliquod temporis spatium, Gregorio mortuo, scholae praefuit. Itaque bibliotheca Ultraiectina satis magna esse potuit, quum Gregorius Romae, Ludgerus Eboraci, e ditissimis fontibus hausissent.

Willibrordus, suum clericorum seminarium instituens, Augustini, episcopi Hipponcensis, exemplum secutus est. Quod confirmatur iis, quae de Gregorii vitae degendae ratione enarrat Ludgerus: „praeterea et hoc dignum esse memoria videtur, qualiter discipulos suos, simul cum iis *communi vita* conversando, ut pater filios educarit et dilexerit,” cet.; porro de Gregorii discipulis verba faciens, „quibus omnibus,” inquit, „undecunque, quasi ad unum ovile collectis, pius pater et pastor Gregorius ét spiritualia nutrimenta doctrinarum et eloquiorum Dei, ét corporalia alimenta eadem devotione procuravit et donavit”<sup>1)</sup>. Apparet ergo, clericos Ultraiectinos communem vitam egisse, unde simul sequitur, Chrodegangi regulam non prorsus novi aliquid fuisse, sed potius hanc vitae degendae rationem certis regulis ac legibus adstrinxisse et magis universam reddidisse.

De hora diei, qua Gregorius discipulos suos docere solebat, Ludgerus scribit, nullum prope praeteriisse diem, „quo non primo mane paterna sollicitudine consedens, singulis quibusque venientibus, prout quisque quaesivit, poculum vitae propinaret et irrigaret eloquio Dei”<sup>2)</sup>. Hoc autem facere perrexit Gregorius, etiam quum per tres ante mortem annos, paralyti sinistri lateris affectus, vix ambulare posset. Tunc etiam, Ludgero teste, ut semper solebat, „tradere non destitit auditoribus suis libros divinae legis et monita salutis aeternae. Nam et condiscipulis melioribusque meis in eadem molestia plures tradidit libros, et mihi, modico Ludgero, librum S. Augustini tradidit, quem Enchiridion, id est Manuale, ipse nuncupavit”<sup>3)</sup>. Ex hisce omnibus duas res discimus, tam ad tempus, quam ad methodum docendi atti-

1) *Greg. vita*, cap. 15.

2) *Ibid.*

3) *Ibid.*, cap. 20.

uentes. Nam Gregorium „primo mane” discipulos docuisse, Ludgerus refert, quod etiam Egbertum, archiepiscopum Eboracensem, et ipsum Ludgerum fecisse narrant scriptores; cuius rei haec est causa, quod viri illi multis aliis rebus operam dare debuerunt. Gregorius v. c. licet numquam episcopi nomen gesserit, ecclesiae Frisiae tamen praefuit eique consuluit, quare non aliud docendi tempus ei relinquebatur. Quod vero attinet ad methodum, perspicuum nobis fit, seminarii Ultraiectini discipulos non omnes simul erudiri solitos fuisse, sed singulatim potius, sicut iam Ludgero a magistro separatim Augustini Enchiridion explicatum esse vidimus. Haec docendi ratio arctissime cohacret cum horum temporum bibliothecarum conditione, quae, quamvis libris satis copiose praeditae essent, saepe tamen eiusdem libri unum dumtaxat manuscriptum codicem continerent. Quamobrem magister discipulis provectoris aetatis librum dedit, ut ipsi legerent; sin autem locos difficiles invenirent, a magistro interpretationem petere iis licebat. Discipulos iuniores presbyter aliquis disciplinas docebat, quae S. Scripturae et Patrum ecclesiasticorum lectioni viam munire solebant. Hic saltem in scholis aliis erat mos; et in seminario Ultraiectino idem esse factum, facile intelligemus, eo magis autem, si, ob magnum discipulorum numerum et ecclesiae Frisiae curam Gregorium non omnibus adesse potuisse, observabimus. Mox eum Aluberti, Angli, auxilio usum esse videbimus, sicut etiam postea Albricus, Gregorii successor, aliorum presbyterorum operam invocavit.

Hactenus de schola Ultraiectina. Ludgerus autem, postquam aliquod tempus ibi degit, habitum saecularem deposuit et tonsuram accepit<sup>1)</sup>. Cincinnius narrat cum in monasterio Ultraiectino acolytatus et subdiaconatus ordinibus initiatum esse<sup>2)</sup>, sed de iis apud Ludgeri vitae scriptores

1) *Vita* II, Lib. I, cap. 4.

2) o. l. Lib. I, cap. 7. — De acolythorum et subdiaconorum muneribus, cf. cl. W. Moll: *Gesch. van het kerkelijk leven, eel.* I, p 219—223.



nil invenitur. Fortasse Cincinnius putavit, Ludgerum, quum postea diaconus esset ordinatus, antea acolythum et subdiaconum fuisse. Hic vero Mabillonius <sup>1)</sup> laudandus est, cui videtur monachus subdiaconatus loco aliquando fuisse. „Certe,” sic enim scribit, „S. Benedictus in regula sua concedit abbati, ut, si voluerit, aliquos e suis presbyteros aut diaconos ordinari curet, nulla subdiaconatus mentione facta.... Et scimus monasticam professionem minorum ordinum loco quandoque fuisse: quo minus mirandum est, abbatibus quibusdam non modo tonsuram, sed etiam minores ordines, immo et subdiaconatum, conferendi potestatem concessam fuisse a Pontifice Romano.” Quum autem regulae Benedictinae in Anglia et in nostra patria valerent, (quamvis ob eam causam Frisiae apostoli non *monachi Benedictini* dicendi sint) ex dictis apparet, Ludgerum, more solito, initio vitam monasticam egisse, postea autem clericum ordinatum esse. Cincinnium igitur non in omni re vere narrasse, luculenter apparet.

Per annos, quos Ludgerus Gregorii abbatis disciplina utebatur, quem sibi inde „ab infantia” praeceptorem fuisse, ipse profiteri non dubitat <sup>2)</sup>, „apud condiscipulos,” Alfrido teste, „in magno habebatur affectu, eo quod esset vir mirae mansuetudinis, vultu hilari, non tamen facilis in risu, et in omnibus actibus prudentiam cum temperantia amplectens. Erat enim assiduus meditator divinae scripturae, et eius praeceptae, quae ad laudem Dei et ad doctrinam pertinebat catholicam, pro quibus a venerabili magistro velut unicus filius diligebatur” <sup>3)</sup>.

§ 5.

LUDGERUS IN SCHOLA ALCUINI DEGENS. — REDITUS EIUS  
IN PATRIAM.

Ludgero in schola Ultraiectina versante, ad Gregorium

<sup>1)</sup> *Annales ord. S. Bened.* Lib. X, cap. 20; Tom. I, p. 252.

<sup>2)</sup> *Greg. vita*, cap. 2.

<sup>3)</sup> *Ludgeri vita*, Lib. I, cap. 9.

abbatem venit Alubertus quidam, natione Anglus, qui, apostolus inter Frisios fieri cupiens, a Gregorio petiit, ut ope et consilio sibi adesset. Abbas Ultraiectinus benigne cum recepit, at ut euangelium inter gentiles nunciaret, ei non concessit, namque auxilio eius in aliis rebus potius uti cupiens, Alubertum rogavit, ut chorepiscopus sibi fieri vellet<sup>1)</sup>. Hic vero: „ut scias,” inquit, „me cum licentia et consilio episcopi mei huc transmeare, mitte mecum fratres fideles ad terram, de qua egressus sum, ad episcopum meum, ut ab eo ordiner, ego et illi; tali enim modo consensum praebeo.” Qua sententia probata, Gregorius cum Aluberto<sup>2)</sup> in Angliam misit Ludgerum et alium discipulum, aetate maiorem, nomine Sigibodi, qui ab archiepiscopo Eboracensi ordinarentur, Alubertus episcopus, Sigibodus presbyter, Ludgerus diaconus.

Quodsi quaerimus, quare Gregorius ipse Alubertum huiusque socios non ordinaverit, respondendum, illum revera numquam fuisse episcopum. Sine dubio a multis, v. g. a Beka et Heda, tertius inter episcopos Ultraiectinos recenseatur, sed iniuria. Ludgerus eum semper abbatem nominat; Altfridus<sup>3)</sup> disertis verbis declarat, non ad gradum episcopalem Gregorium ordinatum esse, sed mansisse presbyterum; Hucbaldus de Gregorio scribit: „gradu ecclesiastico presbyterum, sed tunc pro tempore episcopalis officii in eodem castro (Traiectino) vel etiam parochia vicarium”<sup>4)</sup>. Cum

1) Altfridus: o. l. Lib. I, cap. 10. — Altfridus scribit „coëpiscopus,” alii „chorepiscopus.” Utrumque nomen haec in re vere usurpari potest. Gregorius episcopi nomen numquam gessit, attamen episcopali munere functus est, quamvis non ordinatus esset. Sic Alubertus Gregorii coëpiscopus dicendus est. Sed meliore iure chorepiscopus dicitur, quippe cuius auxilio per hoc temporis spatium saepius utebantur episcopi vel ii, qui, ipsi non ordinati, tamen ecclesiae cuidam praeesent. Cf. Rettberg: o. l. II, § 92, p. 607—609. — Chorepiscopi more solito ordinabantur, sed ipsi sedem non habebant; erant episcopi regionarii.

2) Cincinnius: o. l. Lib. I, cap. 8 Albricum, non Alubertum eum nominat, additque „cognatum beatissimi Suiberti, et nepotem venerandi patris Gregorii” cum fuisse. Sed Alubertum confundit cum Albrico, Gregorii successore, de quo infra.

3) o. l. Lib. I, cap. 10.

4) Hucbaldus: *vita Lebuini*, cap. 7.

hiscē testimoniis ipsius Ludgeri verba digna sunt, quae conferantur. „Sed et hoc silentio minime tegendum est, quod, Marchelmo narrante, didici, . . . quia post martirium S. magistri (Bonifacii), . . . ipse quoque Gregorius a Stephano, apostolicae sedis praesule, et ab illustri et religioso rege Pipino suscepit auctoritatem seminandi verbum Dei in Fresonia<sup>1)</sup>). Inde enim apparet, Gregorium a papa et Francorum rege in ecclesiam Frisiam missum esse, fidei propagandae causa. Quod tamen nihilominus nunquam episcopus ordinatus est, eius rei causa quaerenda esse videtur in litibus, quae iam antea inter Bonifacium et episcopum Coloniensem exstiterant. Namque hic, ut iam supra verbo monuimus, ad Dagoberti I mandatum provocans, a quo ecclesia Frisia episcoporum Coloniensium curae tradita erat, neque Bonifacium neque quemquam alium agnovit. Quae lites, per Bonifacii vitam nondum fuisse compositae, quin etiam, Gregorio florente, exstitisse videntur. Atque ita factum est, ut episcopali officio hic fungeretur, episcopi vero nomine nunquam sit gavisus. Hanc ipsam etiam ob causam Alubertum secum chorepiscopum habere voluit, ne, quae ad episcopi officium pertinerent, ac non nisi per ordinatum episcopum administrari liceret, ea aut prorsus essent omittenda negligendae, aut, alius episcopi ope implorata, administranda.

Alubertus, Sigibodus, Ludgerus Eboracum profecti, ab archiepiscopo ordinati sunt<sup>2)</sup>; nec vero statim redierunt, sed per unius anni spatium in Anglia morati sunt; quo tempore Ludgerus ita usus est, ut Alcuini, illius magistri, scholam frequentaret, ipsumque virum summum audiret. Eboraci enim celebris clericorum schola fuit, atque de hac iam paullo altius rem repetentem, uberius me tractantem, neminem reprehensurum esse puto<sup>3)</sup>.

1) *Greg. vita*, cap. 14.

2) De ordinationis tempore et modo, cf. J. Lingard: *Alterthümer der Angelsächsischen Kirche*, ins Deutsche übersetzt, Breslau, 1847, p. 135—141.

3) De schola Eboracensi cfr. Sharon Turner: *History of the Anglo-Saxons*, Paris, 1840, III, p. 236 seqq. — J. Lingard: o. l. p. 192 seqq. H. Soames: *The Anglo-Saxon Church*, London, 1856, p. 96.

Postquam anno 668 mortuus erat Deusdedit, archiepiscopus Cantabrigiensis, Wighardus presbyter Romam profectus est, ut, a Vitaliano papa ordinatus, eodem episcopalem occuparet. Res tamen longe aliter, ac speraverat, evenit. Nam vixdum Romam advenerat, Wighardus, in morbum delapsus, vitam cum morte commutavit. Papa igitur, ut huic rei consuleret, Cantabrigiensibusque episcopum conciliaret, ad alium respexit, atque Adrianum quemdam, ex Africa oriundum, hoc honore affecit. Sed hic, sive quod tali honore indignum se haberet, sive quod amicitia gloriae cupiditate maior esset, munus renuit, et amicum suum, Theodorum monachum, Tarsi in Cilicia natum, commendavit. Vitalianus nunc Theodorum ordinavit, qui cum Adriano Angliam adiit <sup>1)</sup>. Duo illi viri, quum aliarum quoque artium periti, literis Graecis et Latinis imprimis docti essent, Cantabrigii scholam condiderunt, quae a multis discipulis frequentabatur; et qui eorum laborum et disciplinae fuerint fructus, ex eo patet, quod Beda testatur <sup>2)</sup>, sua etiam aetate de Theodori et Adriani discipulis superesse, „qui Latinam Graecamque linguam aequae, ut propriam, in qua nati sunt, norunt.” Discipuli autem hi, per diversas Angliae regiones progressi, alias scholas aperuerunt, et sic etiam Eboracensis nostra exstitit, quae quidem maxime florere coepit, ex quo tempore Egbertus, Bedae Venerabilis discipulus et familiaris, ei praeerat. Hic enim, anno 712 archiepiscopus Eboracensis ordinatus, discipulorum institutionem inter se et Albertum, consanguineum et postea successorem, divisit; et quum multis aliis rebus, tum praesertim bibliotheca eximia colligenda, optime de seminario Eboracensi meritus est. Catalogus huius bibliothecae invenitur in poemate: *de Pontificibus et Sanctis Eboracensis ecclesiae* <sup>3)</sup>, quem locum hic describere libet.

<sup>1)</sup> De his vid. Beda: o. l. Lib. IV, cap. 1.

<sup>2)</sup> o. l. Lib. IV, cap. 2.

<sup>3)</sup> Apud Mabillon: *Acta SS, ord. Bened. Saec. III, parte II.*

Illic invenies veterum vestigia patrum,  
Quidquid habet pro se Latio Romanus in orbe;  
Graecia vel quidquid transmisit clara Latinis;  
Hebraïcus vel quod populus bibit imbri superno;  
Africa lucifluis vel quidquid lumine sparsit.  
Quod pater Hieronymus, quod sensit Hilarius, atque  
Ambrosius praesul, simul Augustinus, et ipse  
Sanctus Athanasius, quod Orosius edit avitus,  
Quidquid Gregorius summus docet, et Leo papa;  
Basilius quidquid, Fulgentius atque coruscant,  
Cassiodorus item, Chrysostomus atque Ioannes.  
Quidquid et Athelmus docuit, quid Beda magister,  
Quae Victorinus scripsere, Boëthius; atque  
Historici veteres, Pompeius, Plinius, ipse  
Acer Aristoteles, rhetor quoque Tullius ingens:  
Quid quoque Sedulius, vel quid canit ipse Iuvenius,  
Alcuinus et Clemens, Prosper, Paulinus, Arator,  
Quid Fortunatus vel quid Lactantius edunt.  
Quae Maro Virgilius, Statius, Lucanus, et auctor  
Artis grammaticae, vel quid scripsere magistri,  
Quid Probus atque Phocas, Donatus Priscianusve,  
Servius, Euticius, Pompeius, Comminianus.  
Invenies alios perplures.

Constat ex his, bibliothecam Eboracensem eximiam fuisse; et revera si recordamur quam difficile fuerit eo tempore libros sibi manuscriptos comparare, Egberti in scholam suam merita sine dubio magna et egregia fuisse, facile agnoscemus.

In discipulis docendis Egbertus Bedae, magistri sui, vestigia sequi solebat. A prima luce, nisi muneris episcopalis officia impedirent, discipulis, residens in lecto suo, „ cuique convenientia scripturae pandebat arcana, ” usque ad horam sextam, saepissime usque ad nonam. Inde vero surgens, oratorium intravit, et „ iuxta exemplum beati Iob, ne forte filii eius in maledictionis laberentur foveam, sanctificabat eos, offerens corpus Christi et sanguinem pro omnibus. Et sic tandem vespertina propinquantem horam, praeter quadragesimam maxime, omni tempore tam aestatis quam hiemis, parcum cum suis, digne tamen praeparatum sumebat cibum;

linguae non parcens lectoris, utroque ut reficeretur pane" <sup>1)</sup>. Videmus igitur eundem morem secutum esse Egbertum, quem iam antea Gregorium didicimus. Primo mane tantum docere solebat, quum cetera diei pars muneris ecclesiastici officiis occuparetur, nec copiam daret docendi et cum discipulis disserendi.

Artes, quae in schola Eboracensi docebantur, cognoscimus ex eodem poemate, quod supra laudavimus. Alberti enim institutionem attingens, poeta noster sic pergit:

Et simul Eborica praefertur in urbe magister.  
Ille ubi diversis sitientia corda fluentis  
Doctrinae et vario studiorum rore rigabat:  
His dans grammaticae rationis graviter artes,  
Illis rhetoricae infundens refluamina linguae.  
Istos iuridica curavit cote polire,  
Illos Aonio docuit concinnere cantu.  
Castalida instituens alios resonare cicuta,  
Et iuga Parnassi lyricis percurrere plantis.  
Ast alios fecit praefatus nosse magister  
Harmoniam coeli, solis lunaeque labores,  
Quinque poli zonas, errantia sidera septem,  
Astrorum leges, ortus, simul atque recessus,  
Aërios motus pelagi teiracque tremorem,  
Naturas hominum, pecudum volucrumque, ferarum,  
Diversas numeri species variasque figuras.  
Paschaliq̄ue dedit solemnia certa recursu,  
Maxime scripturae pandens mysteria sacrae:  
Nam rudis et veteris legis patefecit abyssum.

Ex his facile efficimus, Eboraci quoque eadem tradita fuisse, quae in aliis scholis, ea dico, quae trivium et quadrivium vulgo complectebantur. Egbertus, archiepiscopus factus, ipse nonnisi Novum Testamentum interpretari perrexit; Veteris Foederis interpretationem aliarumque artium institutionem Alberto reliquit; bibliothecae autem Alcuinum praefecit, eiusdem seminarii discipulum.

1) Vid. Alcuini opera, ed. Frobenii, 1777, t. I, *Alcuini vita, ab anonymo*, p. LXXI, in fine.

Egberto anno 766 mortuo Albertus <sup>1)</sup> in munere archiepiscopali successit. Hic quoque muneris officii, quominus multam operam scholae tribueret, prohibebatur; quare Alcuinum, iam antea adiutorem suum, seminario praefecit. At Alcuinus, anno 735 natus, ab Egberto cruditus, institutionem Eboracensem multo celebriorem reddidit, quod minime est mirandum, si animadvertimus, eundem virum postea in Caroli Magni aula scholae Palatinae conditorem fuisse eumque, plurimis scholis in Francia et toto Caroli regno instituendis, optime de literis artibusque bonis esse meritum. Alcuinus <sup>2)</sup> autem easdem tradidit disciplinas, quas supra iam diximus, trivium nimirum et quadrivium. Ipse tamen illis nominibus non utitur, verum loquitur de ethica, physica, theologia, quae tres disciplinae easdem septem partes, quas trivium quadriviumque continent, grammaticam nimirum, rhetoricam, dialecticam, arithmeticam, geometriam, musicam, astronomiam sive astrologiam complectebantur <sup>3)</sup>. Alcuinus quum de tribus prioribus artibus scripserit, quid quaque sibi voluerit, quoque eas doceret modo, satis constat. Grammatica eius etymologiam tantum continet, agit de verbis verborumque for-

<sup>1)</sup> De Alberto Mabillon hanc coniecturam fecit (*Annales ord. S. Bened.* Lib. 24, cap. 12; tom. II, p. 197): „Vehemens mihi suspicio iniicitur, hunc ipsum esse Alubertum, quem ex Eboracensi provincia ad Gregorium, Traiectensem abbatem accessisse, superius dixi; ab eodemque in patriam remissum cum Liudgero, ut ab episcopo Eboracensi sacerdos ordinaretur, eidemque Gregorio in regenda parochia esset adiutor.” Quae coniectura, etsi veri speciem habet, tamen non prorsus cum iis, quae de hisce temporibus nobis innotuerunt, convenit. Alcuinus enim, Egberto vivo, bibliothecae tantum praefectus est Alberti adiutor erat. Hoc autem archiepiscopo facto, Alcuinus scholae Eboracensi, magister praefuit, ex quo tempore in primis docendo operam navavit et praecipue primum locum occupavit. Ex Alfridi autem libro apparet, Alcuinum, Ludgero cum sociis Eboracum veniente, iam scholae fuisse praepositum, quare eo tempore Egbertus iam obiisse mihi videtur, Albertus Egberto iam successisse; Traiectum igitur adire non poterat. — Praeterea nomina non accurate conveniunt; archiepiscopus Eboracensis nominatur Albertus (var. Aelbertus, Alubertus, Elcbertus); Gregorii chorepiscopus Alubertus (var. Aluberht, Alubret, Adelbertus).

<sup>2)</sup> De Alcuini institutione cf. imprimis F. Lorentz: *Alcuins Leben*, 1829, p. 25 seqq.

<sup>3)</sup> Cf. Lorentz: o. l. p. 27.

nis, non vero de syntaxi. Hue, appendicis loco, pertinent etiam regulae quaedam orthographiae, qua intelligit modum recte scribendi, nam Alcuinus, ut ipse maximam curam adhibuit in manuscriptis transcribendis, sic etiam alios semper ad idem incitavit. Quum autem grammatica verba verborumque formas tractaret, logica periodos vel verborum ambitus docebat, eratque haec in duas partes divisa, rhetoricam sive artem persuadendi, dialecticam sive artem vera a falsis secernendi, atque in hac pertractanda Aristotelem potissimum ducem auctoremque sequebantur omnes.

Arithmetica — ut pauca de singulis istis disciplinis in medium proferam — hisce temporibus difficillima sane erat, quum characteres Arabici nondum adhiberentur. Quod autem ad Alcuinum attinet, hic arithmeticam theologiae accommodavit, eo potissimum consilio, ut numeros, qui in S. Codice occurrunt, allegorice interpretaretur. Geometria imprimis ad physicam et astronomiam pertinebat, atque huic maximam Alcuinum dedisse operam, ex epistolis eius apparet, e quibus eum Caroli Magni iussu de anno solari et lunari, opera data, inquisivisse discimus. Ars poetica quoque, quum ubique, tum etiam Eboraci tradebatur, et Alcuinus, ut in omnibus fere rebus ceteris antecelluit, sic etiam poetica laude inter aequales eminebat; horum enim multi versus mali et barbari nobis supersunt. Alcuini vero carmen, in Ludgeri ecclesiam compositum, quod infra describemus, nostrum de viro eximio iudicium illustrabit. Musicam denique in futurorum clericorum seminario ad disciplinam pertinuisse, per se iam patet.

Haec omnia S. Scripturae studio praecedebant, quod revera praecipuum locum occupavit. Interpretatio autem S. Codicis maximam partem allegorica illa fuit et mystica, medio aevo propria; et Alcuini in Veteris Novique Foederis nonnullos libros commentarii, huius interpretationis sunt documenta. Ac quamvis commentarios illos postea demum, quum in Francia versaretur, Alcuinus composuerit, doctrina



tamen eius scholae Eboracensis discipulis prodesse potuit et certe profuit.

Inter Alcuini discipulos, quorum numerum permagnum fuisse constat, praeter Ludgerum, Wizonem recensere lubet, cognomine Candidum; Fredegisum, magistri in schola Turonensi successorem; Sigulfum, postea abbatem Ferrariensem; Osulfum et Josephum <sup>1)</sup>.

Non continue Alcuini, magistri sui, doctrina et sapientia schola Eboracensis gavisa est. Quum enim anno 780 obiisset Albertus archiepiscopus, Eanbaldus, Alcuini discipulus et amicus, illius loco creatus est. Huic igitur ut pallium compararet, magister eximius Romam est profectus. At dum iter facit Alcuinus per Franciam, Carolus Magnus eum convenit, et statim perspiciens, qualis esset vir ille, omnibus viribus contendit, ut ei persuaderet, ne in Angliam rediret, sed iam Franciae sapientia sua prodesset. Non negavit Alcuinus, imperatori libenter est assensus, et ex illo tempore cum discipulis, quos supra commemoravimus, in continente est moratus atque optime de Francia, optime imprimis de schola Palatina meritus est. — Haec sufficiant de seminario Eboracensi eiusque magistro illustri; iam ad propositum nostrum redeamus.

Per unius anni spatium <sup>2)</sup> Eboraci versatus, Alubertus cum sociis suis Ultraiectum rediit, et Gregorii abbatis chorepiscopus factus, re et consilio ei adfuit. Ludgerus vero, iam diaconi munere fungens, nihil vehementius desideravit, quam Eboracum reverti atque iterum Alcuini frui institutione <sup>3)</sup>.

---

<sup>1)</sup> De Alcuini discipulis vid. *Commentatio de vita Alcuini*, § 40 seqq. Vid. Alcuini opera, ed. Frobenius, tom. I, p. XXIII seqq.

<sup>2)</sup> Alcuinus scholae Eboracensi praeerat, quum Ludgerus eam frequentaret. Ille autem post Egberti archiepiscopi mortem summus magister factus est; Ludgerus igitur post annum demum 766 Alcuini institutione frui potuit. — Haec quod attinet ad tempus, de quo, ni fallor, nil accuratius statui potest.

<sup>3)</sup> Altfridus: o. l. Lib. I, cap. 11. — *Vita III*, Lib. I, cap. 7 rem ali-

Veniam tamen abbatis impetrare non potuit; renuit Gregorius et „blandis sermonibus” a proposito eum avertere conatus est. Sed quum nihilominus Ludgerus in sententia perseveraret, Gregorius patrem eius adiit petiitque a Thiatgrimo, ut filio iter abnegaret. Ludgerus tamen ab incepto non abstulit; tandemque precibus eius convicti, et parentes et Gregorius ei assensum omniaque dederunt, quibus in via iuveni opus esset. Iterum igitur Eboracum tetendit, et benigne ab Alcuino receptus, per tres annos et sex menses apud hunc mansit; et procul dubio etiam diutius Eboraci mansisset, nisi res fatalis eum in patriam reverti coegisset. Civibus enim Eboracensibus ad bellum gerendum egressis, negotiator quidam Frisius, rixa haud levi exorta, comitis illius provinciae filium interfecit; quocirca iuvenis consanguineorum iram timentes, ne ultores necis eos invenirent acerbos, non solum interfector, sed etiam omnes Frisii fugerent, necesse erat <sup>1)</sup>). Alcuinus igitur praemetuens discipulo caro, ne quid detrimenti caperet hac in re, ex Anglia eum exire iussit; immo vero verens, ne Ludgerus, doctrinae amore incitatus, clam rediret, Putul cum eo misit diaconum. Hic, ut obiter moneam, secundum Alcuini mandatum, Romam profectus, postea ad magistrum reversus est, cumque hoc, anno 780, presbyter ordinatus, in Galliam se contulit <sup>2)</sup>).

Sic ergo Ludgerus Traiectum rediit et, quod hinc praetermitti non licet, rediit „bene instructus, habens secum copiam librorum” <sup>3)</sup>). Itaque tum rursus Gregorii institutione

---

ter narrat. Scribit enim: „Post Ludgeri reditum ex Anglia, quadam die, iuxta usum officii eius, coram Gregorio euangelium lexit. Sed in quodam verbo offendenti, Gregorius coram populo emendavit. Ludgerus publica correctione confusus, acceptam verecundiam ad suas utilitates convertit. Denuo ad Alcuinum redire cupiebat, indignum se dicens percepto officio posse videri, qui illud ex more implere nesciret: se coram Gregorio ante non lecturum, quam illud, Domino adiuvante, pro viribus emendare curaret.”

1) Altfridus: o. l. Lib. I, cap. 11.

2) Ibid., cap. 12.

3) Ibid.

usus est, cui erat „tanto tunc dignior et acceptior, quanto fuit et in monasticis eruditionibus illustrior”<sup>1)</sup>. Et revera inde ab eo tempore a senis latere numquam discessit. Adfuit ei in gravissimis rebus, adfuit ei, senectute gravato, adfuit ei etiam morienti. Pulchram huius mortis descriptionem discipulus pius postea composuit, quam ne omittam nihil est, quod non vercar. Nam Ludgerus, postquam de Gregorii morte mentionem fecit, sic simpliciter, sed vere pulchre et pie pergit: „Tunc... venit ei dies extremus mortalitatis huius, ad ingressum regni et perpetuae salutis praedestinitus. Circumsteterunt eum discipuli eius, desiderantes adhuc, quamvis infirmum, patrem diutius secum habere, et de eo optando dicere ad invicem: „non moritur hodie, non moritur hodie.” Ipse vero, viribus assumtis, quibus valuit: „hodie,” inquit, „volo licentiam habere.” Et, his dictis, iussit se ante oratorium S. Salvatoris a discipulis portari, et ostium aperiri, ibique oratione facta et communione sacri corporis et sanguinis Domini accepta, aspiciens ad altare, mente coelestibus intentus, ad Dominum perrexit, cui tanto tempore sincera mente servivit”<sup>2)</sup>.

---

<sup>1)</sup> Alfridus: o. l. Lib. I, c. 12.

<sup>2)</sup> Quo anno Gregorius obiit? Incertum videtur. Ludgero teste, annus 780 vel 781 postremus Abbatibus vitae statuendus est. Bonifacius enim eum cognovit, ut memorat Ludgerus (*Greg. vita*, c. 4), ad annum 722, annum aetatis quartum aut quintum decimum agentem; natus igitur est anno 707. „Et prope iam ad septuaginta annorum aetatem,” i. e. 777, paralysi affectus est, quo morbo per tres annos laboravit, i. e. usque ad annum 780. — Verum cum his non convenit Caroli Magni diploma, datum VII idus Iunii 777 (vid. Heda: o. l. p. 41), in quo iam de Albrico, Gregorii successore, sermo est; quin etiam in S. Salvatoris ecclesiae catalogo (ibid. p. 46), Gregorius obiisse dicitur a. d. 25 Aug. 775. Ludgerus igitur minus accurate narrasse videtur, et Bonifacium aut mortuum esse anno aetatis sexagesimo octavo, aut Bonifacium eum cognovisse, quum iam aetate provecior esset, statuendum est. Quarum sententiarum haec potissimum probari videtur Ludgeri ipsius verbis, qui scribit Gregorium, Bonifacio in Addulae monasterium veniente, nuper scholam et palatium reliquisse (*Greg. vita*, c. 4).

Qua institutione Ludgerus sit gavisus, quibus doctoribus usus, vidimus. Traiecti igitur et Eboraci, in duabus illius aevi celeberrimis scholis erudito, homini nostro iam aderat tempus, quo ipse apostolus, Christi nomine propagando, non frustra se Alenini, non frustra Gregorii institutione fructum esse, probaturus esset. In quibus vero Frisiae regionibus euangelium annunciaverit, quique eius laboris fuerint fructus, nunc nobis inquirendum est.

## PARS SECUNDA.

### LUDGERUS APOSTOLUS.

#### § 1.

LEBUINUS DAVENTRIAE APOSTOLUS ET PASTOR. — ECCLESIA  
EIVS A LUDGERO RESTAURATA.

Vivo adhuc Gregorio abbate, Traiectum venit Lebuinus <sup>1)</sup> sive Liafwinus, in Anglia natus, presbyter <sup>2)</sup> „sanctus et doctus,” qui se ter modo terribili a Domino admonitum esse narrabat, ut in confinio Francorum Saxonumque, ad Isalam fluvium, euangelium praedicaret. Petiit igitur a Gregorio ducem aliquem fide dignum, qui sibi viam in illa loca monstraret. Abbas cum eo misit Marchelmum, qui, ipse Anglus, a Willibrordo a pueritia eruditus, postea Gregorii discipulus factus erat, et e numero fuit coenobitalium Ultraiectinorum <sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> De quo vid. Hucbaldus: *vita Lebuini*, apud Pertz: o. l. II, p. 360—364 et Surium: o. l. a. d. 12 Nov. t. VI, p. 277—283. — Cfr. etiam: G. Dumbar: *Kerk. en Wereldlijk Deventer*, 1732, p. 177 seqq. — P. C. Molhuysen: *Levensberigt van St. Lebuinus. Overijss. Almanak*, 1836, p. 1—17. — Hucbaldus, monachus in monasterio S. Amandi vel Elnonensi, vixit circa annum 920, et scholis Remensibus per aliquod tempus praefuit. Opus suum, in quo egit de Lebuino, Balderico, episcopo Ultraiectino dedicavit. Vita autem haec maximam partem ex Altfridi opere excerpta esse videtur; quae vero de publico Saxonum conventu tradidit, maximi momenti sunt. „Pis praecipue contemplationibus ampliare opus suumque reddere conatus est.” Sic Pertz: I. l. p. 360.

<sup>2)</sup> Hucbaldus et Altfridus (o. l. Lib. I, c. 13) discretis verbis narant, Lebuinum, iam presbyterum, in Frisiam venisse, unde luce fit clarius errare omnes, qui eum cum Willibrordo nostram patriam adisse putent, aut qui Lebuinum confundant cum Livino, apostolo Belgico. Cum Bosschaerts: o. l. p. 124—128 statuere duos Lebuinos fuisse, minime necessarium est. — Cf. van Heussen-van Rijn: *Oudh. v. h. bisdom Deventer*, ed. 1725, 8<sup>o</sup>. t. I, p. 104 seqq.

<sup>3)</sup> Cincinnius: o. l. rem aliter tradit. Nam si hunc audiamus, iam

Itaque cum hoc Lebuinus ad Isalae ripas se contulit, nam ibi fines erant Francorum et Saxonum; unde etiam hunc populum usque ad Isalam habitasse apparet, neque igitur Lebuinum Frisiae apostolum revera dici posse. Sed haec hactenus; quod vero ad Lebuinum attinet, primum moratus est hic Huilpae <sup>1)</sup>, in Isalae ripa occidentali, ubi „a matrona Averhilda ceterisque fidelibus” benigne receptus, impetravit ut oratorium aedificaretur. Iam antea igitur in hac regione euangelium praedicatum esse videtur, quum de fidelibus mentio facta sit; verisimillimum puto de Willibrordi, Bonifacii sociorumque labore apostolico hinc esse cogitandum. Lebuinus ergo, quum flumen traicisset, venit Daventriam, locum praecipuum, in pago Hamaland <sup>2)</sup> situm, „cui loco hoc inditum constat vocabulum a Davone quodam, honorifico ac potenti viro, S. Lebuino, dum adhuc viveret, familiarissimo” <sup>3)</sup>. Ibi apostolus fidem christianam cum natione inculta et barbara communicavit, idque effecit, ut, numero christianorum in dies crescente, mox ecclesia parva erigeretur. At plerique Saxones magna cum vi et tenacitate apostolo pio et laborioso restiterunt; quin tam vehementer in eum commoti sunt, ut, exercitu collecto, Daventriam expugnaverint, ecclesiam christianam combusserint, ipsumque Lebuinum expulerint <sup>4)</sup>. Rediit igitur vir egregius Traiectum ad Gregorium, ubi „praestolabatur consolationem a Do-

---

antea Marchelmus sive Marcellinus Daventriae, Transisalanicae Trentaeque incolas ad Christum converterat. Deinde Lebuinus venit et, eodem Marchelmo, iam senescente, duce et adiutore, fidem christianam corroboravit et ampliavit. Utrum autem Marchelmus revera apostolus dicendus sit necne, diiudicari nequit, quum fontes nihil omnino certi nobis suppeditent de eius praedicatione, Altfriidus vero de Lebuini solius labore scribat.

<sup>1)</sup> Hodie Wilpe. — Cf. van Heussen-van Rijn: *Oudh. v. h. bisd. Deventer*, p. 346.

<sup>2)</sup> Cf. van den Bergh: o. l. p. 184.

<sup>3)</sup> Huchaldus: *vita Lebuini*, c. 16.

<sup>4)</sup> Altfriidus: o. l. Lib. I, c. 13.

mino." Vix tamen hostes regionem reliquerant, quin mox Daventriam reversus sit; brevi ecclesiam instauravit, et, iterum novo cum ardore ministerio illustri nunciandae fidei in se suscepto, usque ad mortem in orientalibus Isalae regionibus euangelii propagationi operam dedit. Quo magis autem eius studium, diligentia et audacia eluceat, paulo accuratius rem, ab eo susceptam, hinc exponere mihi lubet.

Quodam tempore Lebuinus audivit publicum Saxonum conventum instare. Conventus autem hi Saxonum ad rei publicae curam et regimen pertinebant, cuius, Hucbaldo <sup>1)</sup> teste, haec fuit ratio. Saxonibus priscis temporibus reges non erant, sed apud singulas eorum nationes tres ordines inveniebantur, quorum nomina erant: „Edlingi, Frilingi, Lassi;" singulis autem pagis principes singuli praeerant. Iam vero certo anni tempore ex singulis pagis et ex tribus illis ordinibus singillatim viri duodecim eligebantur, qui in media Saxonia, prope Visurgim flumen, et locum Marklo, conventum agebant, „tractantes, sancientes et propalantes communis commoda utilitatis, iuxta placitum a se statutae legis" <sup>2)</sup>. Cuius conventus tempus quum iam adesset, illuc proficisci Saxonibusque congregatis euangelium praedicare Lebuinus cupivit. Iter faciens, in Folcberti cuiusdam, viri illustris ac potentis, domum devertit, qui iam antea christianus factus ac Lebuino amicus erat. Hic apostolum, consilium eius Saxonum conventus adeundi intelligens, multis verbis ab itinere avertere conatus est, multa ei et magna pericula, quae a Saxonibus ei imminerent, proponens suadensque, ut domum potius rediret vel se conferret ad Davonem, virum christianum et amicum, donec, peracto Saxonum conventu, tutius praedicare posset. Lebuinus vero,

<sup>1)</sup> Hucbaldus: o. l. apud Pertz: l. l. p. 361.

<sup>2)</sup> Ibid. — Molhuysen: l. l. p. 6 coniecit hunc locum in Transisalaniam situm fuisse, eundemque esse, qui hodie adhuc Markelo dicatur. Cui coniecturae prorsus assentimur; nam dubitari potest, an Saxones, qui ad Isalae fluminis ripas habitabant, convenirent in loco, ad Visurgim sito, qui tam longe abfuit ab eorum sedibus.

nullo metu percussus, iter suum perrexit inque conventum venit, Christi nuntius, clericali schemate insignitus, sacerdotali infula <sup>1)</sup> ornatus, crucis signum ambabus manibus prae se gerens, euangelium brachio gestans. Saxones congregatos allocutus est; sed verba eius, ut ea sane exhibet Hucbaldus, minime apta erant ad ferocium hominum animos flectendos. Verisimillimum autem Hucbaldus hunc sermonem finxit, nam revera Lebuini oratio minax, si talis fuisset, qualis nobis est tradita, necessario gentiles iratos reddere debuisset. Nam inter alia sic iis minatur, ore fervido et contumaci ac parum prudenti, affirmans, nisi ab idolis suis, diis falsis, se avertant, atque ad Deum unum et verum se convertant, regem esse venturum, a Deo missum, potentem, prudentem, acerrimum, qui eos sit victurus malisque maximis affecturus. Non est mirandum, Saxones, ira incensos, Lebuinum interficere voluisse; quod fecissent, nisi adfuissent alii, inter quos Buto, vir nobilis, qui ad mansuetudinem animos commotos revocavit, aliorum monens populorum legatos semper a Saxonibus benigne recipi solere, Lebuinum autem esse legatum summi Dei, quare etiam hunc recipiendum esse. Quibus verbis auditis, Saxones apostolum illaesum dimiserunt, „et communi decreverunt consensu, ne a quoquam impeteretur ille Dei nuntius, sed quocumque vellet ire, absque ulla laesione pergeret securus“ <sup>2)</sup>).

Sed eo, unde incepimus, redeamus et ad eum, cuius vitae illustrandae causa haec omnia in medium proposuimus, Ludgerum dico, accedamus. Gregorius abbas anno 775, ut supra vidimus, Ultraiecti obiit et Albricus, nepos eius, ei successit praefuitque ecclesiae Ultraiectinae, eodem munere, quo Gregorius, fungens, non episcopi, sed presbyteri <sup>3)</sup>. Mox

<sup>1)</sup> Schema, i. e. ornatus, vestitus; infula, i. e. casula, planeta, vestis sacerdotalis. Cf. du Cange: *Glossarium*, in vv.

<sup>2)</sup> Hucbaldus: o. l. apud Pertz: o. l. II, p. 362, 363.

<sup>3)</sup> Albricus a nonnullis (Beka, Heda, al.) Anglus habetur. At disertis verbis Altfridus eum Gregorii nepotem fuisse tradit; unde



etiam Lebuinus de vita decessit, et quum Altfrius<sup>1)</sup> de eius et Gregorii morte simul mentionem faciat, Lebuinus mortuus esse videtur a. d. 12 Nov. anni 775. De hoc Lebuini mortis anno multi dissentiunt, alii annum 773<sup>2)</sup>, alii 777<sup>3)</sup> statuentes. *Primo loco* igitur quaerendum, utrum Lebuinus ante, an post Gregorium mortem obierit. Hoc statuendum videtur, et quia Altfrius utriusque viri mortem arte coniunxit, quod non fecisset, si Lebuinus iam anno 773 vel 774 mortuus esset, et quia Ludgerus, ecclesia Daventriensi a Saxonibus brevi post Lebuini mortem combusta, ab Albrico, non vero a Gregorio Daventriam missus est. — *Deinde* conferendus est Altfrii libri locus<sup>4)</sup>, ubi legimus, Ludgerum per *septem fere* annos in Frisia euangelium praedicasse, donec Widukindi invasione expulsus est. Haec autem Widukindi invasio facta est anno 782, ut suo loco probabimus. — Quamobrem hanc chronologiam statuimus: exeunte anno 775 Lebuinus diem supremum obit; ineunte 776 Saxones eius ecclesiam destruunt, quae paulo post, quum iam hostes discessissent, a Ludgero restaurata est. Hic deinde, ab Albrico legatus, in Frisiam profectus est, ut inde ab anno 776 usque ad 782, i. e. per annos fere septem in Frisiis moraretur.

Lebuinus in ecclesia sua Daventriensi sepultus erat, quum paulo post Saxones iterum urbem ceperunt, ecclesiam incenderunt et corpus Lebuini per tres dies quaesiverunt; sed frustra. Nusquam pii viri reliquias invenerunt, et hac saltem spe falsi, non ita multo post sunt regressi. Attamen ec-

---

ille Francus natione fuisse videtur, quum Gregorius, Ludgero teste, regio Francorum sanguine ortus esset. Verisimiliter Beka et Heda Albricum cum Aluberto (de quo supra) confuderunt, quos tamen Altfrius perspicue distinxit.

1) o. l. Lib. I, c. 14.

2) Welter: *Einführ. d. Chr. in Westf.* p. 52; Behrends: o. l. p. 15.

3) Dumbar: o. l. p. 181; *Overijss. Alm.* p. 10; Tadama: *Gesch. van Zutphen*, p. 29. — Nos cum Rettberg facimus.

4) o. l. Lib. I, c. 18.

eclesia iacebat diruta, timor barbarorum omnes Christi sectatores invaserat, et, nisi cito huic malo remedium afferretur, omnino metuendum erat, ne Lebuini labor omni careret fructu, frustra ii, qui Christo nomen dedissent, tot tantaque mala essent passi. Quibus rebus sollicitus Albricus Ludgerum adiit et: „Nunc,” inquit, „quia frater meus dilectissimus es, peto ut desiderium meum impleas. Locus enim, in quo sanctus Domini, Liafwinus presbyter, quem nosti, in opere Domini usque ad mortem persistendo laboravit, ubi sacrum eius corpus sepultura tegitur, in solitudinem est redactus; quamobrem peto, ut eum restaurare studeas et super corpus sancti ecclesiam reaedifices”<sup>1)</sup>. Itaque Ludgerus, magistri verbis obediens, Daventriam venit locumque quaesivit, ubi Lebuini corpus erat sepultum; invenire vero non potuit. Attamen in loco, ubi corpus humatum esse putavit, ecclesiam novam aedificare coepit. Sed quum fundamenta iam iecisset parietesque ducturus foret, ecce apparuit ei in somnio Lebuinus, et: „frater dilectissime, Ludgere,” inquit, „bene fecisti restaurando Dei templum, iam dudum deletum a gentilibus; sed et corpus meum, quod quaesisti, invenis sub australi, quem erexisti, pariete humatum”<sup>2)</sup>. Ac rem mirificam! postero die Ludgerus mane, „Domini laudibus expletis,” in loco indicato corpus invenit et, suorum ope, fundamenta ecclesiae in parte australi ita transmovit, ut Lebuini corpus intra parietes in ecclesiae area iaceret. Hac restaurata, Ludgerus Traiectum rediit. „Numquam deinceps a gentilibus erat contaminata. Sed in loco illo per servum suum Liafwinum Dominus multas virtutes operatur usque in hodiernum diem, ubi est etiam nunc coenobium canonicorum Domino famulantium.” Sic Alfridus<sup>3)</sup>, e cuius verbis apparet, eius tempore, clericos ecclesiae Daventriensis vitam communem egisse, quam iam antea Willibrordus, Gre-

1) Alfridus: o. 1 Lib. I, c. 14.

2) Ibid.

3) Ibid.

gorius cum clero suo agere solebant, et quae, Chrodegangi Metcensis regula, obstricta et directa erat in tota Ecclesia Occidentali.

§ 2.

LUDGERUS OSTRAGAE APOSTOLUS. — PRESBYTER  
ORDINATUR. — INTER SCHOLAE ULTRAIECTINAE DOCTORES  
LOCUM OCCUPAT.

Ultraiectum reversus, Ludgerus cum aliis clericis ab Albrico in Frisiam missus est, qui idolorum fana destruerent eorumque cultum eversum unius veri Dei cultu uberrime et saluberrime compensarent. Iter illud igitur eo potissimum consilio susceptum videtur, ut, paganismi reliquiis removendis, euangelii progressus augeretur; quo plura enim adhuc Frisiis loca sacra et templa erant, veteris superstitionis monumenta, eo magis hi euangelio sese opponebant. Clerici ergo Ultraiectini ex Albrici mandato multa fana destruxerunt, mox Traiectum redierunt, thesauris onusti, quos in fanis illis Frisiis invenerant. Horum duas partes Carolus Magnus accepit, tertiam autem partem Francorum rex <sup>1)</sup>, sine dubio multo clementior quam leo ille Phaedri, sed tamen ei non dissimilis, Albrico concessit.

Circa hoc tempus etiam episcopi nomen et dignitatem accepit Albricus. Iam enim vidimus, eum non episcopi, sed presbyteri munere fungentem, ecclesiam Ultraiectinam gubernasse. Tandem tamen Coloniae Agrippinae episcopus ordinatus est <sup>2)</sup>; quo vero anno hoc ei contigerit, incertum videtur, sed certo post annum demum 777, nam eo tempore presbyter adhuc erat <sup>3)</sup>. Lites itaque, quae iam inter Bonifacium et episcopum Coloniensem erant exortae, quaeque prohibuerant, ne

1) Alfridus: o. l. Lib. I, c. 14.

2) Ibid. c. 15.

3) Cf. Caroli Magni traditio, apud Hedam: o. l. p. 41.

Gregorius abbas ordinaretur episcopus, tunc compositae esse videntur. Albricus vero, iam episcopus, effecit ut Ludgerus presbyteri gradum nancisceretur eumque constituit ecclesiae doctorem in Ostraga <sup>1)</sup>. Huius pagi finis occidentalis erat lacus quidam, nomine Burdine (Boerdiep), qui eum a Westraga separabat; finis autem orientalis erat Laubachi; septentrionalis, Oceanus; meridionalis, Almeri. Locus vero praecipuus in hae regione erat Doceinga, ubi ante nonnullos annos Bonifacius martyr erat factus. — Verisimiliter Albricus Frisiae regiones ita divisit et clericis suis singulis provinciam dedit.

Episcopali munere fungens, Albricus etiam seminario Ultraiectino praefuit iuvenesque clericos futuros instituit. Quum vero scholae cura unius hominis vires superaret, nonnullos e suis clericis elegit ac secum scholae praefecit <sup>2)</sup>. Anni spatium in quatuor partes divisit, eo consilio, ut primum ipse per tempus vernum monasterio <sup>3)</sup> Ultraiectino praesesset, deinde aestate Adalger presbyter, tum Ludgerus aetumno, et postremo Thiatbrat hieme; singuli ternos menses docebant discipulos. — Quum ergo vice sua Ludgerus quodam tempore Traiecti moraretur, hanc visionem habuisse dicitur. Post psalmodiam vespertinam et orationes, cubitum ivit in solarium <sup>4)</sup> ecclesiae S. Salvatoris, quam Willibrordus aedificaverat. Ecce autem, media nocte Gregorius abbas ei apparuit, et: „frater Ludgere,” inquit, „sequere me.” Ludgerus secutus est et Gregorius in locum altiore ascendit iecitque ante pedes veteris discipuli membranas et vestimenta, ac dixit: „collige ex iis acervos.” Ludgerus haud secus ac

---

<sup>1)</sup> De Ostraga pago (Oostergouw) cf. van den Bergh: o. l. p. 135—140.

<sup>2)</sup> Altfridus: o. l. Lib. I. c. 15.

<sup>3)</sup> Monasteria non solum dicebantur, in quibus monachi vivebant; sed etiam coenobia, i. e. domus, in quibus canonici erant vel clerici, communem vitam degentes. — Cf. du Cange: o. l. in voce: *monasterium*.

<sup>4)</sup> du Cange: „Solarium est domus contiguatio, vel cubiculum mains ac superius.”

iussus facit, et, tribus acervis accumulatis, Gregorius: „distribue,” inquit, „ista bene in opere Domini, et ego tibi satis dabo.” Tum crucis signum fecit et disparuit <sup>1)</sup>). Ludgerus expergefactus, postero mane Haddoni, monasterii praeposito, et Marchelmo, ecclesiae custodi, visionem narravit, quam hic statim sic interpretatus est et explicuit: „Tres cumuli, quos congregasti, trium sunt gubernacula plebium, quibus adhuc pastorali regimine te oportet praecessse.” Quibus verbis auditis, Ludgerus respondit: „Utinam in loco, mihi credito, aliquem Domino fructum perficiam” <sup>2)</sup>). Haec de Ludgeri visione.

Antequam vero de eius in Ostraga labore verba facimus, paucis inquiramus, quinam apostoli iam ante cum in illa regione versati fuerint. Atque haec respondenda habeo: praedicavit ibi Bonifacius, qui prope Doccingam anno 755 est interfectus. Post Bonifacium venit Willehadus, de cuius in nostra patria labore paululo longioribus esse nobis licet <sup>3)</sup>). Willehadus, Anglus, in Northumbria natus, „ab infantia sacris eruditus literis, ac spiritualibus instructus disciplinis,” proveciore aetate presbyter est ordinatus. Quumque audiisset, Frisios et Saxones iam quodammodo ad Christi fidem conversos esse, eorum regiones adire atque incolis euangelium nunciare constituit. Quare, quum ab Alachrat rege proficiscendi veniam petiisset, hic, episcoporum aliorumque clericorum conventu convocato, una cum omnibus consilium eius probavit <sup>4)</sup>). Mari traicecto, Willehadus venit ad locum, cuius nomen erat Doekynchirica (Dokkum), ubi iam multos a Bonifacio martyre ad fidem christianam conversos invenit. Magno cum gaudio christiani Willehadum receperunt, quin etiam plurimi nobiles liberos suos ei crudiendos et

<sup>1)</sup> Altfridus: o. l. Lib. I, c. 16.

<sup>2)</sup> Ibid.

<sup>3)</sup> Vid. Ansharius: *vita Willehadi*, apud Pertz: o. l. II, p. 379—390. Ansharius, celeberrimus Northmannorum apostolus, unus ex Willehadi successoribus in episcopatu Bremensi, annis fere septuaginta post Willehadi mortem, huius vitam conscripsit.

<sup>4)</sup> Ansharius: o. l. Lib. I, c. 1.

excolendos commiserunt. Atque sic per longum temporis spatium ille in ea regione moratus est, non solum eorum, qui christianos se iam confessi erant, fidem confirmans et corroborans, sed etiam gentiles adhuc Frisios ad novam suam religionem convertens et baptizans <sup>1)</sup>).

Ex his apparet, in Ostraga iam ante Ludgerum saepius euangelium nunciatum esse; ipse igitur, ab Albrico doctor ecclesiae in illo pago constitutus, prodromorum laborem ampliare potuit, christianos docendo, gentiles convertendo. De apostolico eius opere infra (§ 4) uberius agemus, hoc loco de eius in Ostraga mora haec annotare sufficiat. Per annos fere septem ibi mansit; de iis vero, quae peregit, Altfridus in universum scripsit: „Ludgerus, qualiter in gente Fresonum optatum euangelisandi exercuisset officium, et semina vitae, supernae gratiae rore irrigante, in agris multorum cordium ad eius praedicationem uberrime pullulassent, testes sunt usque hodie populi regionis illius, quos ad veritatis agnitionem a prisco revocavit errore, testes quoque ecclesiae, quas per loca singula construxit, testes et famulantium Deo congregationes, quas aliquibus coadunavit in locis” <sup>2)</sup>). Apostolus igitur gentilibus euangelium praedica- vit; ecclesiae doctor fideles docuit et ecclesias construxit, inter quas unam eodem loco, ubi Bonifacius martyrio coro- natus erat. Hoc enim, quamvis Altfridus disertis verbis non pronuntiet, efficere tamen possumus ex Alcuini carmine, quod hîc describo:

VERSUS ALCUINI DE ECCLESIA SANCTI LUDGERI <sup>3)</sup>).

Hic pater egregius meritis Bonifacius almis,  
Cum sociis pariter, fundebat sanguinis undam,  
Incluta martyrii sumentes stemmata sacri.

1) Ansharius: o. l. Lib. I. cap. 2.

2) Altfridus: o. l. Lib. I, c. 17.

3) Altfridus: o. l. Lib. I, c. 17. — In uno codice, teste Pertz, haec verba desunt et Alcuini carmen coniungitur eum praecedentibus Iosephi versibus, quos item suo loco exhibebimus. Sed et ex Iosephi carminis

Terra beata, nimis sanctorum sanguine dives!  
Transvolat hinc victor ad coeli praemia miles,  
Ultima cespitibus istis vestigia linquens.  
Suadeo quapropter curvato poblite supplex,  
Tu, quicumque legis, terris his oscula fige.  
Spes tibi magna fiat, lacrimas ascendere coelum  
Hinc potuisse tuas, fultas patronibus istis.  
Hic manet ille cruor, cuncto pretiosior auro,  
Membraque coelesti rore hic perfusa quiescunt.  
Adiuvat hinc Paulus, doctor Bonifacius inde,  
Haec quoniam illis constat simul aula dicata.

Ecclesia igitur, a Ludgero aedificata, in honorem Pauli, magni illius gentilium apostoli, et Bonifacii consecrata est. De aliis autem ecclesiis, a viro industrio conditis, infra sermo erit; hanc vero paragraphum concludamus, citantes carmen Iosephi<sup>1)</sup>, Alcuini discipuli, Ludgeri igitur commilitonis, in huius laudem scriptum.

Frater, amore Dei cognato dulcior omni  
Et consanguineis merito pretiosior ipsis,  
Ludger amate mihi, Christi te gratia salvet:  
Vive tuae gentis Fresonum clara columna.  
Presbyter occiduis laudabilis orbis in oris,  
Doctus, in eloquio prudens, et mente profundus,  
Ipsae gradum meritis ornas et moribus almis.  
Et puer, en, senibus humili de corde ministras:  
Et germanus agis cunctis aequalibus aevo:  
Atque parens pueris vitae documenta rependis.  
In melius crescendo, mei memor esto, sacerdos,  
In precibusque tuis commendes quacso Tonanti  
His brevibus vatem, qui te laudavit in odis;  
Cui teretis baculi pro tali carmine donum  
Munificus tribuas. Fors haec mercedula vati  
Concordat modico. Felix sine fine valet.

---

fine, et ex diverso utriusque carminis argumento, perspicuum redditur, versus seiungendos esse.

<sup>1)</sup> De Iosepho nonnulla annotavit Mabillon: *Acta SS. ord. S. Bened.* Saec IV, parte 1, p. 180; ex quibus apparet hunc Iosephum cum Alcuino Franciam adiisse et ante magistrum obiisse.

§ 3.

SAXONES AGROS INCURSANT. — LUDGERUS PROFICISCITUR  
ROMAM ATQUE IN MONASTERIO CASINENSI MORATUR.

Postquam Ludgerus per annos fere septem euangelio nunciando vires intenderat, Saxones, Widukindo duce et auctore, contra Carolum Magnum rebellare coeperunt, anno 782<sup>1)</sup>. Bellum, quod eo tempore gestum non nisi anno demum 785, Widukindo victo, ad finem perductum est, acerrimis annumerandum est bellis, quae inter Francos Saxonesque gesta fuerunt. Iam quoque invidia Francorum imperii arte coniungebatur cum fidei christianae odio, et magnopere saeviit in christianos Widukindus. Vehementer eos persecutus est, et Christi nomen abiurare vi et armis coëgit, sacerdotes e Saxonia expulit vel interfecit, eorum ecclesias et oratoria destruxit<sup>2)</sup>. Willehadus, ab anno 779 in Wigmodia pago a Carolo Magno apostolus constitutus<sup>3)</sup>, persecutioni cessit et, navem conscendens, Frisiam adiit, iam multis eius discipulis a Saxonibus interfectis, inter quos recensentur Polcardus presbyter, una cum Emmiggo comite necatus, Benjamin, Atrebanus clericus, Gerwalus denique sociique eius<sup>4)</sup>.

Frisiorum quoque, a Widukindo ad rebellium sollicitatorum, haud exigua pars cum Saxonibus conspiraverunt. A nonnullis viris doctis<sup>5)</sup> res ita narratur, ac si incertum esset, quinam Frisii huius belli participes fuerint; sed ex Altfredi libro<sup>6)</sup> dilucide apparet, eos usque ad Fleo fluvium fidem christianam abiurasse, quumque Ludgeri provinciam

---

<sup>1)</sup> Hoc dilucide apparet ex *Willehadi vitae* cap 5, coll. cum cap. 6. Anno 781 Willehad a Carolo Magno ecclesiae doctor in Wigmodia pago constituitur; sequenti anno, i. e. 782 a Widukindo expellitur.

<sup>2)</sup> Altfredus: o. l. Lib. I, c. 18.

<sup>3)</sup> Ansharius: o. l. Lib. I, c. 5.

<sup>4)</sup> Ibid. c. 6.

<sup>5)</sup> Inter quos Arend: o. l. I, p. 355.

<sup>6)</sup> o. l. Lib. I, c. 18.



Ostragam pagum fuisse sciamus, tota septentrionalis Frisiae pars arma contra Carolum Magnum cepisse videtur. Tam late igitur rebellio patebat, tam alte priscorum deorum amor Frisiorum mentibus adhuc inhaerebat. Nec mirum. Iam enim Radbodi eiusque successoris Adgildi temporibus, quum Frisia inferior et media contra Francorum imperium pugnarent, regiones quoque superiores una cum istis avitorum morum priscorumque deorum eversoribus bellum infestum inferre non dubitarunt. Sic etiam hoc tempore. In Ostraga quoque christiani multis persecutionibus obnoxii erant. Quibus quum vitae suae et suorum immineri intelligeret, Ludgerus ex provincia sua discedere statuit, discipulos suos dimisit, ac, duos tantum secum retinens, Hildigrimum, fratrem, et Gerbertum <sup>1)</sup>, cognomine Castum, Saxonum irae cessit Romanque cum discipulis ambobus profectus est.

De Ludgero in antiqui orbis capite morante, Alfridus, optimus eius vitae auctor, nil tradit; in *vita* autem *secunda* et *tertia* haec narrata invenimus. „ Illic (Romae) cum Papae Leoni indicasset itineris causam, et quia desideraret, in paterna hereditate monasterium construere, intelligens beatus Pontifex vel ex sermonibus eius vel Dei spiritu revelante, quid in se sanctae intentionis haberet, in honore magno eum habuit, donavitque illi Salvatoris nostri reliquias, et sanctae Dei genitricis, Mariae, sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, in quorum memoria monasterium, quod dixerat, construeretur” <sup>2)</sup>. Haec omnia non prorsus vere atque omni-

1) Cf. Mabillon: *Annales*, Lib. 29, c. 25; t. II, p. 440, cui Gerbertus is Castus esse videtur, qui anno 822 Visbechi abbatiae, in Leriga pago, praefuit. An ex nominum similitudine hoc coniecere liceat, merito dubitari licet, idque eo magis, quod revera utriusque viri nomina non conveniunt; nam abbas Visbechensis dicitur *Castus*, Ludgeri vero discipulus, Gerbertus, *cognomine* Castus.

2) *Vita* II, Lib. I, c. 13; *Vita* III, Lib. I, c. 12. — Cincinnius: o. l. Lib. I, c. 14 his omnibus sua addidit, magna cum diligentia singulas reliquias, Ludgero a papa donatas, enumerans, inter quas reliquiae recensentur Jesu Christi crucis, Mariae lactis, Ioannis Baptistae, Petri, Pauli aliorumque apostolorum, Stephani, Laurentii, martyrum, Martini confessoris, Felicitatis eiusque filiorum, martyrum.

bus numeris exacte esse narrata, iam inde apparet, quod anno 782 non Leo, sed Hadrianus sedem papalem tenuit. Romam vero adisse Ludgerum, Altfridus <sup>1)</sup> quoque narrat, virumque pium inde reliquias attulisse, quum ex ipsa re, tum vero ex donationibus, eius ecclesiis et monasterio factis, luculenter apparet. Verisimile autem est, cum, aliorum vestigia prementem, loca sacra, Petri atque Pauli sepulera visitasse, Romae libros sibi comparare studuisse; verum de colloquio, cum Hadriano papa instituto, nil certi statui potest. Praecipuum eius itineris consilium erat, Altfrido teste <sup>2)</sup>, monasterium S. Benedicti in regno Beneventino adire, „et illic in sancta conversatione consistens, didicit regulam s. patris Benedicti. Erat enim cupiens in hereditate sua coenobium construere monachorum.” Eodem modo Sturm, abbas Fuldensis, Bonifacii discipulus, in Italiam iter fecit, plurima monasteria visens, ut regulam Benedicti cognosceret <sup>3)</sup>. Sic etiam Willihadus, quem e Saxonia expulsus esse diximus, Romam profectus est, unde reversus, per duorum annorum spatium in monasterio Efternachensi moratus est <sup>4)</sup>.

Ludgerus igitur monasterium S. Benedicti in regno Beneventino adiit, i. e. monasterium, quod anno 529 in Monte Casino fundaverat Benedictus Nursinus, vitae monachicae in Ecclesia Occidentali reformator. Neminem, qui in historia medii aevi haud prorsus peregrinus est, latet hoc in Monte-Casino aedificatum monasterium, imprimis per septimi, octavi, noni saeculorum cursum, non solum bene meritum esse de artium liberalium propagatione, sed etiam maximam vim in totius Europae mores et humanitatem exercuisse. Benedictino enim ordini omnes fere monachi addicti erant, quin et clerici eandem regulam sequebantur. Willibrordus, Bonifacius hanc

1) o. l. Lib. I, c. 18.

2) Ibid.

3) Cf. Pertz: o. l. II, p. 371.

4) Ansharius: o. l. Lib. I, c. 7.

5) Mabillon: *Annales*, Lib. 20, c. 35; t. II, p. 53 (ad annum 720) monasterii Casineusis situm et interiora descripsit.

in suis monasteriis vivendi normam habuerunt, et Ludgerus, idem facere cupiens, hanc solam ob causam in Italiam tendidisse videtur, ut monachorum Benedictinorum vitam coram videret et cognosceret. Eo autem tempore abbas Montecasinensis fuit Theodemarus <sup>1)</sup>, qui a nonnullis <sup>2)</sup> Ludgeri propinquus dicitur.

De Benedicti regula, in monasteriis huius aevi usitata, uberius agemus, quum de Ludgeri monasterio Werthinensi sermo erit. Hic narravisse sufficiat, Ludgerum in monasterio Casinensi per duorum annorum et sex mensium spatium mansisse, atque anno 785, postquam Carolus Magnus Widukindum vicit, in Frisiam rediisse. De hoc reditu *vita secunda* haec tradit: „Cupiebat sancta illa (monachorum Casinensium) hospitalitate prolixius uti, sed gloriosus imperator Carolus eius famam audiens, prodente eum maxime Alcuino, praeceptore quondam suo, qui eo tempore de Britannia in Franciam venit, misit semel et iterum, atque literis eiusdem Alcuini ad se eum venire mandavit” <sup>3)</sup>. Ad haec Mabillon <sup>4)</sup> annotavit: „an in Gallia tum degeret Alcuinus, merito dubitari potest. Tametsi eo fere tempore in Galliam venit, sed facta brevi mora, in Britanniam revertit.” Sic igitur res a viro docto in dubium vocatur; et merito. Altfrius <sup>5)</sup> enim scribit: „Ludgerus post duos annos et menses sex reversus est ad patriam suam, et pervenit eius fama ad aures gloriosi principis Caroli;” e quibus verbis concludimus imperatorem animum attendisse ad Ludgerum, quum hic iam ex Italia rediisset. Quodsi vero Alcuinus Ludgerum Carolo Magno commendasset, Altfrius saltem huius rei mentionem fecisset, quum tota Ludgeri vita optime ei innotuerit.

<sup>1)</sup> Mabillon: o. l. Lib. 24, c. 72; t. II, p. 221: „Theutmarus seu Theodemarus, anno 777 abbas Casinensis factus est, cui veterrimus abbatum Casinatium index novemdecim praefecturae annos tribuit.” († 796).

<sup>2)</sup> *Vita* II, Lib. I, cap. 14; Cincinnius: o. l. Lib. I, cap. 15.

<sup>3)</sup> *Vita* II, Lib. I, c. 14.

<sup>4)</sup> *Acta SS. ord. Bened.* t. V, p. 39, annot. c.

<sup>5)</sup> o. l. Lib. I, c. 19.

§ 4.

LUDGERUS IN QUINQUE FRISIAE PAGIS RELIGIONIS CHRISTIANAE PRAECEO ET PROPAGATOR.

Postquam anno 785 Carolus Magnus Saxones, qui in Westphalia habitantes, duce Widukindo atque adiuvantibus Frisiis, rursus rebellare ausi erant, devicit ac sibi victori subiecit, nova Frisiae ecclesiae incepit periodus. Carolus enim, cui magna Europae occidentalis pars tam multa debebat, etiam eos populos, quos iam sibi submisisset, ea impertiri optavit humanitate, cuius religio christiana aptissimum ei videbatur instrumentum. Eo consilio iam anno 781. Willehado pagum adsignaverat Wigmodiam, ubi christianam religionem commendaret ac propagaret, sacvamque gentem, euangelio nuntiando, ad humanitatem vocaret. Sed nimis adhuc populus priscae superstitioni erat addictus, et Willehado, nisi ipsam vitam periclitari vellet, iam anno sequente, Widukindo furente ac mortem et perniciem omnibus Christianis minitante, e Wigmodia erat fugiendum. At vix nuntius, vicisse Carolum, ad virum intrepidum pervenerat, quin ex coenobio Eternachensi profectus in Wigmodiam redierit; mox duobus annis post, anno 787, in civitate Wormatiae episcopus est ordinatus<sup>1)</sup>. Ab eo inde tempore usque ad mortem suam, quae brevi post, anno 789, accidit<sup>2)</sup>, in dioecesi sua, cuius caput erat Brema, non solum Saxonibus, verum etiam Frisiis convertendis operam dedit, iisque quidem huius populi, qui inter Visurgim et Amisiam fluvium habitabant. Fuit autem regio ea finis extremus eius Frisiae partis, ubi aliquando Radbodus rex inde a Sinefala usque ad Visurgim, liber a Francorum dominatione, splendide ac severe regnaverat. Iam vero Frisia universa Carolo Magno subiecta erat, et gladius victoris nuntiis pacis aeternae viam munierat etiam usque ad Laubachos fluvium. Restabant igitur quinque inter Lau-

<sup>1)</sup> Ansharius: o. l. Lib. I, cap. 8.

<sup>2)</sup> Ibid. cap. 10.

bachos et Amisiam pagi, hisque, ut euangelizaret, Ludgerum nostrum „ecclesiac doctorem” imperator praeposuit <sup>1)</sup>. Quinque autem isti pagi hisce nominibus commemorantur Hugmerchi, Hunusga, Fivilga <sup>2)</sup>, Emisga et Federitga, quibus accedit Bant insula, ab urbe Norda proficiscenti ad occidentem sita. Sed in hisce regionibus paganismus adhuc vigeat fanaticasque populi mentes olebat, et a nova religione humanitateque christiana unus omnium maxime abalienabat. Quare haec praesertim Ludgeri laus, hoc praecipuum eius de patria nostra meritum est habendum, quod hoc paganismi veterati ac fanatici genus perdidit radicitusque eruit, ac novum et melius quiddam, fidem christianam dico, in illius locum substituit.

Iucundum profecto nec ingratum foret opus, si quas iniierit vias Ludgerus, ut ad hunc perveniret finem, exponeremus, et singulatim quae in quinque pagis fecerit, labores eius, miserias, errores, omnes denique casus enarraremus. Sic enim id efficeretur, ut claram expressamque apostoli nostri cuiusque muneris imaginem nobis repraesentare possemus. Sed hoc vix fieri posse, fateri non pudet. Fontes enim fere nihil aliud commemorant, nisi templa ab eo diruta, deque munere eius apostolico non nisi in universum agunt. Nonnulla quidem ibi inveniuntur de ecclesiis, a Ludgero conditis; sed de his postea demum nobis inquirendum est. Quapropter paucis potius adumbremus, quomodo, quibusque rebus instructus ad gentiles venerit Ludgerus, hosque ad Christi nomen eum convertentem videamus. Quod antequam instituimus, breviter de duorum priorum pagorum conditione aliquid in medium proferre, non ab re nostra fore puto.

---

1) Altfridus: o. l. Lib. I, cap. 19.

2) De tribus prioribus vid. van den Bergh: o. l. p. 129—134. De universa Ludgeri dioecesi imprimis dignus est, qui conferatur I. von Ledebur: *Die fünf Münsterschen Gaue, und die sieben Seelande Friesland's*, Berlin, 1836. Quod opus me non potuisse inspicere, quam maxime doleo.

In Hugmerchi pagum iam ante Ludgerum Willehadus venerat, gentilibus euangelium impertiturus <sup>1)</sup>. Hic enim, postquam per multos annos in Ostraga labore indefesso munere suo est functus <sup>2)</sup>, Laubachos etiam fluvium traiecit ac vanum idolorum cultum facundis verbis perstrinxit. At graviter talia ferentes Frisii, nec hanc contumeliam diis suis impune imponi patientes, vi atque armis apostolum petierunt, et parum abfuit, quin morte sua iniuriam, diis illatam, apostolus laisset, nisi subito vox ei salutaris audita esset. Iam enim Frisiis furibundis interficere sacrilegum parantibus, ecce nobiles nonnulli, sive audaciam viri mirantes, sive, ne impune eum essent necaturi, metuentes, ante deos esse consulendos censuerunt, populoque, ut, nisi sorte ducta, quidquam in Willehadum consuleret, persuadere sunt conati. Placuit ea ratio, ducta sors est, et Willehado fuit benigna. Frisii igitur, magna numina venerantes, nec deorum manifestae voluntati resistere ausi sunt, et apostolum illaesum e regionibus suis dimiserunt. Probatum autem hac narratione, quod iam supra monuimus, *primum* admodum adhuc pagi Hugmerchi incolas veteri superstitioni fuisse addictos; *deinde* Ludgeri industria, quum hic in pago eo post Willehadum munere apostolico fungens, religionem christianam primus confirmaverit stabiliveritque, qualis quantaque fuerit, dilucide inde apparet. Quamquam hoc non ita accipi volo, quasi Willehadi labores, qui primus semina sparserat, prorsus nihili essent habendi et omni caruissent fructu, nec Ludgero nostro id admodum profuisse censerem, quod gladii Francorum agrum fertilem peraraverant, animosque feroces paullo demissiores reddiderant.

Quod ad Hunusgam, quem pagum secundo loco memoravimus, attinet, quum de eo et Ludgeri laboribus mentionem faciamus, non possumus non silentio praeterire virum, qui quum ob multas alias res, tum praesertim propter eximia eius de re christiana merita nostro omnium amore,

<sup>1)</sup> Ansharius: o. l. Lib. I, cap. 3.

<sup>2)</sup> Cf. huius partis § 2.

omnium veneratione et summis laudibus dignissimus est; de quo, quum eius vita a Ludgeri divelli nequeat, paulo accuratius tractare nobis libet. Non obscurum est, quem dicam: Bernlesium (Bernlef)<sup>1)</sup>, vates Frisius caecus, senex a popularibus suis dilectus, quod carminibus suis fortia maiorum facinora in memoriam revocaret. Huius nomen per totam fere hanc paragraphum cum Ludgeri vita coniungatur necesse est.

Tertius iam erat annus, ex quo caecus factus Bernlef, non nisi suorum manu ductus coram populo carmina sua recitabat. En autem Ludgerus terram circumiens, ut verbum Dei praedicaret, in Helewirt advenit vicum, ubi mulier quaedam, nomine Mensuit, ipsum apostolum eiusque discipulos domum suam recepit. Huc, dum moratur, adductus est Bernlef, quem, postquam sine dubio multa ac varia cum eo collocutus est, rogavit Ludgerus tandem an peccata sua confiteri vellet, poenitentiamque solitam in se suscipere. Aiebat Bernlef, et Ludgerus eum postero die ad se redire iussit. Postridie itaque iterum vates Frisius apostolum adiit, quumque hic in equum iam adscendisset atque in eo esset, ut proficisceretur, poëta viso, tanta eius erat benignitas, ut statim descenderet, equumque per habenam conducens ura cum Bernlesio procul a suis pergeret. Sermones cum poëta scriit apostolus, ille peccata confitetur poenitentiamque solvendam a Ludgero accipit. At hic ad Christum Bernlesium se duxisse non satis habuit; videndi etiam potestatem caeco reddere cupiit, et revera reddidit. Hoc saltem ab Altfrido narratum invenimus, quamquam eius ita est narratio, ut miraculo quodam, ut omnium fere huius temporis scriptorum fert ratio, caecum a Ludgero sanatum esse lectoribus persuaderi conari videatur. Quod, si revera beneficio illo Bernlesius affectus est, non est, quod necessario de miraculo cogitemus. Nam ita rem sese habuisse Altfridus refert. Ludgerus, crucis signo in oculis Bernlesii facto, manum porrectam, num videret rogavit. Magna cum laetitia hic se videre manum affirmavit; ad quae

1) De Bernlesio vid. Altfridus: o. l. Lib. II, cap. 1, 2.

Ludgerus: „Deo,” inquit, „omnipotenti gratias age!” Deinde, sermone de fide christiana iustitudo, sensim Werfhem vicum appropinquantur. Constitit Ludgerus atque iterum, num vicum conspiceret, ex poëta quæsiuit. Ac rursus hic, se etiam vicum conspicere respondit; et rursus apostolus pius: „Deo,” inquit, „omnipotenti gratias age, qui videndi potestatem tibi dederit.” His dictis hi perrexerunt ambo, donec venerunt Usquardam, ubi in oratorium, nuper a se aedificatum, vatem Frisium Ludgerus introducens, secum Deum precari et ob beneficium acceptum laudare iussit, simul hoc ab eo petens iusiurandum, ne ante ipsius mortem cuiquam, quomodo sanatus esset, confiteretur. Iuravit Bernlef et, quo facilius promisso stare posset (sic enim narrat Alfridus), semper adhuc aliorum ductu usus est, donec mortuo demum apostolo, qua ratione cæcitate esset liberatus, cum aliis etiam communicaret.

Haec de Bernlefii sanatione sufficiant. Fuit igitur hic, ut diximus, vates, i. e. talis, qui deorum honorem fortiaque heroum facinora carminibus celebraret. In Britannia autem, ut obiter moneamus, si in ea regione vixisset Bernlefius bardus esset vocatus<sup>1)</sup>. At Frisiis hoc nomen ignotum erat, eam maxime ob causam, quod apud eos separatim vatum collegium numquam existit. In Britannis autem bardis, qui ad Druidarum ordinem pertinere censebantur, præ ceteris hominibus institutione exquisitiore fruebantur, qua Germanorum ac Frisiorum vates omnino carebant. Hi non erant docti, sed nati poëtae, et cuiuscunque donum illud coeleste dederant dii, hunc carmen modulari non pudebat, atque quasi superiore numine inflatus, talis vocem edebat, cantu animos feroces flectebat, rebus a patribus olim fortiter gestis laude celebrabat. Unde facile intelligitur vates Frisiorum, etsi non separatim corpus efficiebant, tamen nihilominus quam Britannorum bardos illos, honore et gravitate a ceteris homini-

---

<sup>1)</sup> De bardis cf. Sharon Turner: o. l. I, p. 43.



bus fuisse distinctos. Hanc ob causam, idque imprimis attendamus, Bernlefii ad Christi nomen conversio maximi fuit momenti, res ponderis haud exigui, atque ea, quam Ludgeri conatibus unam omnium maxime profuturam omnino necesse esset. Pulchre hoc perspexit apostolus noster et quo talem virum ac tantos ingenii dotes, quantis Bernlefius praeditus erat, adhibuit modo, satis superque docet, Ludgerum minime fuisse hominem rudem aut ei, quod in se susceperat, muneri imparcm. Nam Bernlefii carmina, quum hucusque idolorum cultum populo Frisiae commendassent potius, quam mitiora hominibus ferocibus attulissent, quandoquidem fortia maiorum facinora coram iis depingentia, amorem etiam libertatis, deorum reverentiam, odium denique eorum, qui Francorum victorum tutela fruente fana antiqua evertere studerent, continuo alerent, auferent, corroborarent, iam eadem illa carmina christianae religioni propagandae egregie inservire posse Ludgerus probe intellexit. Eo consilio, non amplius deorum priscorum atque heroum fortium laudes celebrandas esse, constituit; — talia enim carmina populi animos a nova religione alienos reddere, libertatisque amorem resuscitare necesse erat, — sed unum Deum verum poëtae in posterum esse extollendum, unius Dei cultum laudandum, unius populi epinicia canenda, idque verbis poëtae regii, poëtae illustrissimi piissimique totius Antiquitatis, hoc sibi Ludgerus voluit atque hanc ob causam Psalmos discipulo suo explicavit. Eos, ab apostolo nostro in linguam vernaculam versos ac rhythmum quodam sine dubio ligatos (nec praetermittenda haec in re alliteratio ea, quam, quum in omnibus huius periodi poëmatibus inveniamus, nec his carminibus defuisse verisimile est), coram populo recitabat Bernlefius; et quantum hi profuerint christianae religionis propagationi, quum eos, qui iam essent conversi, confirmarent, alios autem veri Dei cognitionis participes redderent; quanta clade paganismum affecerint, quum antiqua illa in deorum honorem composita carmina obscurarent atque e populari usu sensim

destruerent, hoc quum per se intelligatur, diligentius exponere supervacaneum esse puto. Quare hoc tantum addito, quod fateri sane dolet vehementer, nullas amplius eius Psalmorum versionis inveniri reliquias, nec quicquam certi hanc ob causam de primo illo nostrarum literarum monumento affirmari posse; Bernlefii poëticas laudes missas facimus, virique Frisii alia etiam de re christiana merita consideremus.

Iam enim per multos annos Ludgerus in Frisia euangelii causae omnes suos labores dicaverat, quum Frisii orientales, Unnone et Eilrato ducibus, rursus rebellium moliti sunt. Nec defuerunt etiam tunc, quae saepius repetita, omnia, quae de Francis sibi monerent, odio vehementi persecutibus Frisiis, iam prope mos esset factus: templa et oratoria Christianorum comburi, euangelii confessores vexari, ipsi apostoli ac praedicatorum profugari. Quorum e numero etiam Ludgerus noster et discipuli eius fuerunt. Itaque ab ecclesia sua separatum, parvulos christianorum sancto baptismo e diaboli potestate non amplius liberare se posse et aeternae damnationi relinquere cogi, ea opinione admodum apostolus cruciabatur, atque huic malo non posse occurrere, nisi per Bernlefium, qui in patria esset mansurus, statim intelligebat. Quamobrem clanculum poëtam convenit, eique, dum persecutio esset saevitura, infantes eos, qui ne statim morerentur esset metus, concedentibus matribus, baptizare mandavit. Ad quod rite et legitime faciendum, in aquam consecratam submergi parvulos aut eadem perfundi iussit, invocata Sancta Trinitate. Bernlefius libenter eam provinciam suscepit et per unius anni spatium, quo tempore bellum gerebatur, duodeviginti parvulos baptizavit, quorum sedecim statim post baptismum exspirarunt, duo reliqui postea a Ludgero confirmati sunt. Quum fere omnes hi infantes statim post baptismum extincti sint, satis patet, baptismum huic Bernlefii modo fuisse baptismum, necessitatis causa administratum, eo potissimum consilio institutum, ut, dum presbyter abesset, parvuli coelo servarentur. Et revera Ludgerus non omnes in-

fantes Bernlefium baptizare iussit, verum solos „morituros infantulos”<sup>1)</sup>).

Quum pax post annum constituta esset, Ludgerus in quinque pagos rediit. Bernlefium suum revisit, ac, renovata eorum consuetudine, amicitia etiam amborum in dies aucta est. Itabat ad pium apostolum, familiarem et magistrum dilectissimum Bernlefius, Psalmos ab illo docebatur, quos cum civibus suis, quorum honore et studio et benevolentia etiam post conversionem utebatur, carminibus plenis et ferventibus communicaret. Sic per longum tempus Ludgero fuit amicus carus, sic ecclesiae Frisiae per longum tempus benefactor eximius existit. Nam ad multos annos vitam produxit poëta, nec nisi admodum senex ad vitae suae stadii finem pervenit. Quum in eo esset, ut moreretur — sic enim Altfrius nobis narrat — lectulo senis adstabat coniux moerens ac genitus lacrimasque fundens. Cui: „quif, te mortuo, ego adhuc vivere potero!” exclamanti, „si quidquam a Domino impetrare potuero,” inquit vates, „nec tu diu vita post mortem meam frueris.” Atque ita revera evenit. Nam quum, haec verba accipiens, coniux bona adhuc uteretur valetudine, post diem quintum iam haec quoque diem supremum obiit.

Iam vero ad id accedamus, quod initio huius paragraphi exposituros esse diximus, atque inquiramus, quomodo quibusque rebus instructus Ludgerus se euangelii nuntium gentilibus obtulerit. Quodsi autem hac in re aliorum etiam apostolorum nonnulla commemorabimus, cave putes minime in Ludgerum eadem convenire. Nam etiam eius vitae rationem multis in rebus ceterorum apostolorum vitae ac moribus fuisse similem, mox nobis innotescet.

<sup>1)</sup> Altfrius: o. l. Lib. II, c. 2. — An Behrends: o. l. p. 24 et Bornstedt: o. l. p. 171 bene hoc intellexerint, est quod dubitem, quum rem ita sese habuisse fingant, quasi omnes infantes Bernlefio essent baptizandi.

Qui ad patres nostros euangelii uenerunt apostoli ac nuntii divinae in Christo gratiae, ii non, ut nostris temporibus saepius fieri solet, soli iter ingrediebantur, sed plerumque comites et socios secum habebant. Sic Willibrordus in Frisiam tetendit, undecim comitatus sociis <sup>1)</sup>. Bonifacius autem, quum iam grandis uatu in septentrionales Frisiac partes iter susciperet, magno semper clericorum numero stipatus uiam fecit, atque iidem hi clerici unâ cum apostolo mortem optetierunt <sup>2)</sup>. Willehadum quoque discipuli semper sequebantur, qui, fanis aliquot ac delubris gentilibus imprudenter destructis, ut magister a praedicatione in Drenthia abstinere deberet, effecerunt <sup>3)</sup>. Atque ut hos, sic etiam Ludgerum discipulis suis comitatum aut clericos aliquot secum habentem semper inuenimus <sup>4)</sup>.

Sed apostolis, etiamsi aliorum comitatu iter fecerunt, tamen haud exiguus metus fuisse necesse erat, multaue reuera reformidanda erant, praesertim in regionibus iis, ubi primum Christi nomen praedicaretur. Ne miremur igitur, si Bonifacium praesidio etiam armatorum circumdatum uidemus, qui Frisiis infestis impetum facientibus, apostolum defendere conantur, sed ab hoc, quia fortasse hostium copia nimia ei uidetur atque frustra fore sanguinis effusio, ut gladios in coelum uertant monentur <sup>5)</sup>. Verisimillimum autem est, Ludgerum quoque ab hominibus armatis stipatum fuisse, quum Albrici mandato paganorum delubra idolorumque cultum extirparet atque euerteret <sup>6)</sup>. Nam mandatum tale, non resistantibus Frisiis, cum perfecisse, quin etiam thesauros, quos in templis inuenerit, Ultraiectum transtulisse, nullo aduersante, nullo Frisiorum ira incenso sacrilegium ulcisci studente,

1) Aleuinus: *uita Willibrordi*, cap. 6.

2) Willibald: *uita Bonifacii*, cap. 36.

3) Ansharius: *uita Willehadi*, cap. 4.

4) Altfridus: o. l. Lib. I, cap. 18, 19; Lib. II, cap. 1, 4.

5) Willibald: o. l. cap. 36.

6) Altfridus: o. l. Lib. I, cap. 14.

hoc profecto, nota Frisiorum audacia, vix credere nobis licet. Nonne tanta Ludgeri fuit prudentia, ut talia a Frisiis sibi impendere bene perspexerit, hominibusque armatis vitae suae et sociorum prospexerit? Quid? quod sine dubio nunquam res illas pretiosas et sacratas Ultraiectum transportare potuisset, nisi praesidio firmo fuisset tutus ab insidiis ac impetu Frisiorum. Postremo non praetermittendum, Carolo Magno duas praedae partes datas esse, ut probabilis sit coniectura, hunc regem Ludgero armatos praestitisse.

Iter porro fecerunt apostoli nostri aut pedibus aut in equo sedentes. Lebuinus pedes adit Saxonum concilium annum, cosque congregatos euangelii nuntius compellat <sup>1)</sup>. Ludgerum iam supra vidimus, equo sedentem, Bernlesio obviam factum esse, deinde quum descendisset, equo per habenam ducto, iter perrexisset <sup>2)</sup>. Bonifacium quoque equitem circumvagari solitum fuisse, Gregorii abbatis vita nobis illustrat <sup>3)</sup>. Nam quum iuvenis adhuc Gregorius sequi Bonifacium vellet, Addula, avia eius, nimis nepotem diligens, hunc a se separatum iri acgre tulit. At puer, minans: „si equum mihi negas,” inquit, „quo cum apostolo proficiscar, pedes eius socius iter incipiam.” Satisfecit Addula quamvis invita nepoti, eique praebuit „pueros et equos.”

Sic igitur per patriam nostram circumerrabant apostoli. Quod vero attinet ad eorum vestes, ornatum, omnem denique habitum, erat hic solitus clericorum habitus. Lebuinum v. c. in concilio illo Saxonum, iam saepius a me laudato, presbyteri vestimento indutum invenimus <sup>4)</sup>. Ludgerus ergo, quum nunquam vota monastica in se suscepisset <sup>5)</sup>, cuculla non erat indutus; sed presbyteri habitu ornatus, in quinque Frisiae pagis degebat.

Huic presbyteri vestimento capsam sive cistulam addimus

<sup>1)</sup> Hucbaldus: *vita Lebuini*, apud Pertz: o. l. II, p. 362.

<sup>2)</sup> Altfridus: o. l. Lib. II, cap. 1.

<sup>3)</sup> Ludgerus: *vita Gregorii*, cap. 4.

<sup>4)</sup> Hucbaldus: l. l.

<sup>5)</sup> Altfridus: o. l. Lib. II, cap. 6.

reliquiarum, quam apostoli, loro ad collum ligatam, secum gessisse, ex Ansharii narratione <sup>1)</sup> patet. Nam Willehadi discipulis Frisiorum fana diripientibus, hi, ira in sacrilegos ducti, ipsum magistrum adoriuntur, quin etiam Frisius quidam gladium strictum in apostoli caput dirigit. Sed vano ferit ictu: gladius enim a scopo aberrat et lorum, quo reliquiarum cistulam dependet, perstringit. Miraculi instar res habetur: Frisii obstupescunt et illaesus Willchadus hostes effugit. — Profectus est etiam Romam Ludgerus, atque ibi reliquias accepit, quas postea in ecclesiis et monasterio, a se conditis, deposuit. Saepius enim in traditionibus, quae harum ecclesiarum beneficio sunt datae et conscriptae, reliquiarum fit mentio, „ quas Ludgerus semper secum gestare solet.”

Crucem iis, qui cruciatum Salvatorem annunciaturi ad gentiles venirent, hisce temporibus non defuisse, ipsa docet res. Lebuinus et Ludgerus, cruce armati, Christi fidem praedicant, ille ut Saxonibus adventus sui causam indicet <sup>2)</sup>, hic ut Foseteslandiae incolis discipulisque suis, se non timere diaboli vires ac de victoria Christi non dubitare, salutis signo erecto, ostendat, atque Christi militem intrepidum ipse se declaret <sup>3)</sup>.

Ad opus igitur suum sic, ut supra narravimus, instructi, apostoli nostri, quum in gentilium regiones pervenissent, nihil prius habebant quam ut domicilium sibi idoneum provide-  
rent; et statim tabernacula, quae secum habebant, detenderent. Hunc morem secutus est Ludgerus, quum monasterii condendi gratia aliquamdiu in silva Werthinensi degeret <sup>4)</sup>. Talia autem tabernacula nonnumquam vallo aut aggeribus fuisse munita, si forte ob Frisiorum mentes hostiles, ne quid gentiles molirentur, esset metuendum, mihi quidem veri haud dissimile videtur, quin etiam inde probari posse,

<sup>1)</sup> Ansharius: *vita Willehadi*, cap. 4.

<sup>2)</sup> Huebaldus: l. I.

<sup>3)</sup> Altfridus: o. l. Lib. I, cap. 19.

<sup>4)</sup> *Vita* II, Lib. I, cap. 29 seqq.

quod sedes, quas ad Doccingam Bonifacius habuit, „castro-  
rum” nomine indicantur <sup>1)</sup>).

Itaque apostoli, quum sedes sibi nacti essent, ad opus  
suum accedebant et euangelium gentilibus annunciabant.  
Quod si benevole esset acceptum atque e gentilibus nonnulli  
idolorum cultum abiurare se velle indicassent, per bap-  
tismum in ecclesiae communionem hi recipiebantur. Quo facto  
fundamenta posita erant ecclesiae christianae, cui, cultu  
idolorum relicto, sensim accrescenti ob novam religionem  
novae etiam ceremoniae opus erant. Neque ita multo post  
revera iam oratoria erigebantur, quibus presbyteri additi, qui  
fideles plenius religionem docerent atque sacramenta Baptismi  
et Sacrae Coenae administrarent. Hanc rationem Willchadus  
secutus est, et quum apostolus in Wigmodia pago euange-  
lium praedicaret, et quum postea episcopus dioecesim cura-  
ret suam <sup>2)</sup>). Eandem autem Willehadi methodum etiam Lud-  
geri nostri fuisse, huius rei documenta sunt ecclesiae, ab  
apostolo nostro Werdinae (Wierum) <sup>3)</sup> atque Wisewirtae (Us-  
quurd) <sup>4)</sup> conditae. Sic pedetentim regiones universae chri-  
stianae factae, sic populi ad Christum ductae, sic antiquus  
idolorum cultus tandem abrogatus, templa vetustissima diruta,  
sacerdotes gentilium fugati; novusque inceptit rerum ordo,  
templis christianis ubique erectis; presbyteris, e Christi ec-  
clesia ortis, Christum praedicantibus, celebrantibus.

Hocce igitur modo Ludgerus in quinque Frisiac pagis in-  
tentis viribus semina sparsit fidei. Quamdiu vero in regioni-  
bus istis sit versatus, pro certo affirmari nequit; Altfri-  
dus enim hac de re nihil definiti narrat. Atqui postea Ludgero  
usum esse Carolum Magnum novimus ad convertendos Saxo-  
nes Westphalos, illumque ad Mimigerneford locum „pastro-  
rem” instituisse <sup>5)</sup>). Quum autem Saxones, anno demum 793,

<sup>1)</sup> Willibald: *vita Bonifacii*, l. l.

<sup>2)</sup> Ansharius: o. l. cap. 5, 8.

<sup>3)</sup> Altfri-  
dus: o. l. Lib. II, cap. 3.

<sup>4)</sup> Ibid. Lib. II, cap. 1.

<sup>5)</sup> Ibid. Lib. I, cap. 20.

a Carolo devicti sint<sup>1)</sup>, idque ita ut, tumultibus nonnullis levibus exceptis, nunquam postea rebellium movere sint ausi, vix putamus, Ludgerum ante hunc annum ad Saxones esse profectum. Quae nostra sententia etiam verisimilior videbitur, si observabimus traditiones, variis in locis Ludgero factas, ab anno demum 793 s. 794 incipere. Statuere igitur possumus, Ludgerum praedicasse evangelium in quinque Frisiae pagis, ibique versatum esse per id temporis spatium, quod intercessit inter annos 785 et 793.

Apostoli nostri per hos annos vitae et laborum longe nobilissima excursio est quaedam, quam in Foseteslandiam suscepit. De hac igitur in sequenti paragrapho videamus.

§ 5.

LUDGERI IN FOSETESLANDIAM EXCURSIO.

Non satis fecisse apostolus noster sibi videbatur, si in regionibus sibi constitutis tantum incolas ad Christum convertisset. Foseteslandiam quoque, in insulam, quinque pagis propinquam, christianae religionis causa proficisci studuit, falsos deos propulsaturus, unicum verum Deum et Christi nomen praedicaturus. Et revera, Carolo Francorum rege concedente, in eam insulam profectus est et fidem propagavit.

Iam vero primum quaerimus: ubi insula ca sita erat? quod hodie eius est nomen? Altfridus et Alcuinus<sup>2)</sup> eam „in confinio Fresonum atque Danorum” iacuisse affirmant; Adamus Bremensis<sup>3)</sup> autem, qui hanc insulam Farriam dicit, Foseteslandiam postea Heiligeland (Helgoland) nomen acce-

1) Welter: *Einführung d. Christenth. in Westphalen*, § 23, p. 60.

2) Altfridus: o. l. Lib. I, cap. 19. — Alcuinus: o. l. cap. 10.

3) *De situ Daniae*. — Cf. etiam L. Ph. C. van den Bergh: *Proeve van een kritisch woordenb. der Nederlandsche Mythologie*, Utrecht, 1846, p. 60 seqq.



pisce refert. Patet ex hisce testimoniis verisimillime de Helgolandia, quae hodie vocatur, esse cogitandum, quum praesertim omnia, quae de Foseteslandia nobis innotuerunt, merito in hodiernam Helgolandiam convenire dici possint. At Bosschaerts <sup>1)</sup>, nec non scriptor operis, quod *Batavia Sacra* <sup>2)</sup> inscribitur, longe aliter sentiunt. Alter enim, quum eorum sententiam, qui Foseteslandiam hodiernam habeant Amelandiam insulam, haud ita absurdam esse dicat, Molani coniecturam reiicit, ex qua Foseteslandia ea sit habenda regio, ubi secundum Tacitum Fosi seu Positae habitaverunt; sed Fosweert potius vicum, in Ostraga situm, esse intelligendum putat. *Bataviae Sacrae* autem scriptor decernere quidem aut dirimere controversiam non vult, eorum vero sententiae qui Foseteslandiam et Helgolandiam habeant eandem, minime assentitur; sed Amelandiam potius vel locum, huic insulae propinquum, intelligere videtur. Quorum auctorum sententia praecipue hac in re nititur. Quum enim Willibrordus Foseteslandiam adveniret, Radbodus in eadem insula degit, qui, si illos certe audiamus, eo se contulisset metu Francorum, quum eum vicissent et in mediterraneam terram recedere coegissent. Iam vero id ipsum, Helgolandiam refugium sibi habuisse Radbodum, valde improbabile esse putant, cuius regni, etsi fines meridionales hostis obsessos teneret, pars tamen septentrionalis satis fuerit munita, ut numquam Pipinus eo pervenire posset. Potius igitur de Amelandia aut insula saltem aliqua, in parte Frisiae septentrionali sita, cogitandum esse existimant. Ad haec pauca, quae dicam, habeo. Nam etsi probari quidem nequit certis argumentis, Helgolandiam antea Foseteslandiam fuisse nominatam, 1<sup>o</sup>. tamen adsunt nobis testimonia Alcuini, Altfridi et Adami Bremensis, quorum illi disertis verbis, „in confinio Fresonum atque Danorum” iacuisse insulam commemorant. Quod recte convenit in Helgolandiam, non vero in partem patriae nostrae

1) o. l. Diss. 56, p. 194—196.

2) *Oudh. van Vriesland*, t II, p. 300 seqq.

septentrionalem. Perfugisse autem eo Radbodum, hac de re Alcuinus nihil quicquam affirmat: fieri igitur potest, ut rex ibi sit versatus, nihil coactus, nihil metuens a Francis. 2°. Nomen mutatum ipsum haud leuem movet suspicionem, eandem fuisse Foseteslandiam atque hodiernam Helgolandiam. Nomen enim Foseteslandiac, i. e. terrae Fosetis, dei in hac insula imprimis honorati, si intactum immutatunq; mansisset, ne etiam idolorum memoria in aeternum apud Frisios permaneret, omnino erat metuendum. Hanc ob causam insula vocata est Helgolandia, i. e. terra sancta, ut patet et ex ipso nomine, et ex Adami Bremensis narratione, qui eam „Heiligeland” dicit, et inde postremo, quod etiam nunc eodem apud nantas valet nomine. Semper enim apostoli nostri rebus gentilium christianam reddere speciem conabantur; quod si fieri non potuit, omnino amovebatur ea res; sic etiam nomen Foseteslandiae, a christianis mutatum, sensim paulatimque in Helgolandiae nomen abiit.

Duxit autem nomen suum Foseteslandia a Fosete, deo quodam; hoc enim Alcuinus et Altfridus affirmant, ac disertis verbis deum fuisse Foseten narrant, non vero deam, ut postea saepius, sed immerito, contenderunt nonnulli<sup>1)</sup>. Idem fortasse fuit, quem Northmanni colebant Forseti nomine, filium Balduris<sup>2)</sup>. Eius sacra per universam Frisiam fiebant; sed praeter alios locos in Foseteslandia cultus eius sedem habuisse videtur. Ibi enim Foseti deo complura fana erant erecta; ibi boves pascebantur, ei sacrati, quos manu tangere nefas habebatur; ibi fons obstrepuit sacra aqua, quam non nisi silentes incolae insulae hauriebant. Ceterum pauca admodum nobis de Fosete eiusque cultu innotuerunt; quare potius ad

---

1) Inter alios etiam W. Völlmer: *Wörterb. der Mythologie*, Stuttgart, 1851, in voce *Foste*, p. 533. — Cf. van den Bergh: l.l., qui serie chronologica scriptores enumerat, qui de Fosete seu Fosite egerunt. Perspicue demonstrat eorum opinionem, qui Foseten deam habuerint, ortam esse posse ex *vita S. Suidberti*, a Pseudo-Marcellino conscripta.

2) Cf. J. Grimm: *Deutsche Mythologie*, Göttingen, 1844, p. 210.

ea accedamus, quae de conversione incolarum huius insulae Aleuinus et Alifridus memoriae prodiderunt.

Willibrordus olim Ungendo, regi Danorum, persuadere tentaverat, ut Christum Salvatorem suum haberet et, idolis relictis, coleret et laudaret. Sed frustra: re infecta in Frisiam redire coactus erat. At gravis procella pio apostolo supervenit, atque mare et imber navem Foseteslandiam versus volutant. Et nisi vitam velit periclitari, paucis diebus in insula ea morari cogitur, donec mare placetur et iter certum praebeat navi infirmae. Hoc autem tempore Willibrordus utitur, ut munere suo apostolico digne ac diligenter fungatur, nuncietque insulae incolis salutem a Christo allatam. Nec caruit omni fructu et successu praedicatione ea: tres viri Christi nomen ferre se velle aiebant et in fonte, supra dicto, baptizati sunt. Hoc vero baptismo dei huius insulae caerimoniae pollutae erant, violatus eius cultus. Indigne factum! sic iam clamitarunt gentiles; sed etiam magis sunt commoti, quum Willibrordi iussu socii eius boves, Foseti deo consecratos, necare et comedere sint ausi. Indignabundi ac ira incensi iamiam furorem vesanum aut mortem subitam sacrilegorum poenam fore expectabant, nec impune Deum suum potentem contemni se et irrideri passurum sperabant et pro certo habebant. Spe tamen sunt frustrati. At morentur licet dii ultores, homines sacrilegii ultores non morabuntur! Iniuriam, Foseti illatam, punire gestiunt; festinant ad Radbodum, regem Frisiorum, eo forte tempore in insula degentem, nuntiantque huic, quod facinus sit perpetratum, quod sacrilegium regi puniendum religio iubeat. Et quid rex? An Willibrordum eiusque socios interfici iubet? Sic saltem eum, ira commotum, fecisse existimaremus; sed longe alia eius agendi est ratio. Quotidie de Christianis sortes duci iubet, donec tandem ipsi dii sacrilegos ultimis suppliciis esse puniendos moneant. Sed semper sors sceleratis istis benigna est, et unus <sup>1)</sup> tantum e Willibrordi sociis morti addicitur

<sup>1)</sup> Pseudo-Marcellinus: *vita S. Suidberti*, cap. 7 cum Wigbertum vo-

ac laetus martyrii coronam accipit. Tandem tamen rex Willibrordum, sacrilegorum ducem et auctorem, accessit et vehementer ob facinus inauditum in apostolum invehitur: hic vero ita causam suam agit, ut moneat Radbodum, ne amplius diis inanibus et vanis serviat, Christique potius fiat discipulus; idque monet ita, — si Aleuino saltem, haec enarranti, fides habenda est — ut hanc euangelii praedicationem quam imprudentissimam, quin etiam insolentissimam merito dicere possimus, atque eam quam regis animum irritare necesse esset. Neque etiam tum irae indulget Radbodus, sed iterum ab omni saevitia abstinet atque Willibrordum ad Pipinum remittit. Mira sane et insueta Radbodi haec in re agendi ratio videretur, nisi conicere nobis liceret, eum, metu quodam commotum, parcere apostolo maluisse. Metum autem hunc Pipinus, rex potens et severus apud eum excitasse videtur, et ipsa narratione probatur ita sine dubio rem sese habuisse. Nam hanc ob causam ad Pipinum apostolum remisit, quum sic faciens non solum regis amicitiam et benevolentiam sibi conciliaret, sed etiam, — idque unum omnium maxime cupisse Radbodum quisque intelligit, — christianam religionem a sede paganismi arceret, nec hunc frangere euangelii praedicationem pateretur, sed ad tempus saltem prohiberet.

Feliciores successu in Foseteslandia versatus est Ludgerus, verbum salutis incolis impertiens, paganismo ruinam et perniciem afferens. Nave a nonnullis comitatus eo se contulit, ardens cupiditate Christi nominis propagandi. Vix e nave litora conspexit, quum cruce manu cepit, signum euangelii, quod esset praedicaturus, ac precari Deum coepit, psalmis laudem eius celebrans <sup>1)</sup>, opem et auxilium eius invocans. Nebulae densae adhuc insulam nautarum oculis

---

cat, sed sine ullo iure, nam Aleuinus martyris nomen non refert. — Cf. contra Pseudo-Marcellinum, Bosschaerts: o. l. Diss. 30, 35.

<sup>1)</sup> *Vita* II, Lib. I, cap. 18 Ludgerum psalmum sexagesimum septimum cecinisse narrat.

tegebant, sed dum hymnus sanctus ad coelum adscendit, ecce etiam nebulae remotae sunt, et Foseteslandiac orae luce splendidissima iis, qui intente e nave prospicerent, arriserunt. Res nihil sine dubio insueti aut novi habebat, atque e physicac legibus facile intelligi et explicari potest; Ludgerus tamen ea sic usus est, ut confidentiam suis afferret et augetet. „Ecce,” inquit, „ecce, misericordia Dei fugatur hostis impius, qui antea hanc insulam sedem sibi habebat!” Et merito ita loqui ei licebat. Nam ab eo tempore, quo Willibrordus in Foseteslandiam appulisset, multa erant mutata, multa meliora, multa rei christianae feliciora facta; et sciebat Ludgerus, non amplius Radbodum ullum aut aliam vim inimicam labori suo esse adversaturam, ex quo Carolus Magnus Frisios sibi submisisset. Quare quod Willibrordus ne sperare quidem potuerat, id Ludgerus facile et confidenter peregit. Fana antiqua, in Fosetes honorem aedificata, diruit ac templa unico vero Deo crexit. Mox insulae incolae ad Christum ab eo sunt conversi, mox multi superstitionem patrum cum nova religione commutarunt, mox idem fons, in quo olim a Willibrordo tres homines baptizati fuerant, baptismi piscina fuit Ludgero. Quin etiam princeps incolarum euangelii causae ita favit, ut filium suum, cuius nomen Landricus fuit, Ludgero baptizandum concessit. Magno cum gaudio ex principis voluntate fecit hic, et filium cum postea semper secum habuit. Docuit eum pius apostolus disciplinas eas, quae presbytero necessariae esse putabantur, et iuvenis, quum aliquamdiu hac eruditione fructus esset, ab ipso Ludgero presbyter est ordinatus. Multos annos, Alfrido teste, Landricus hic populo Frisio praefuit in „doctrinae studio.”

Ea igitur ratione paganismi sedes insula christiana facta est sensimque vestigia, quae antiquae religionis adhuc superfuerunt, a Ludgero sunt remota ac deleta. Hocine fortasse tempore apostoli mentem ea cepit cupido, ut, felici successu incitatus, porro etiam proficisceretur ad Northmannos, et his quoque Christi nomen praedicaret? Pro certo affirmare non

ausim nec possum, quum fontes de tempore prorsus sileant. Ad septentrionem tamen proficisci in animo habuisse Ludgerum constat, sed a Carolo Magno id fieri esse vetitum. Rooyaards <sup>1)</sup>, ut obiter moneamus, eum iter etiam suscepisse et inter Northmannos saevos laborasse fingit; sed brevi tantum tempore, Carolo eum revocante, ut ad Saxones eum delegaret. Sed huius rei Alfridi certe narratio non probat veritatem. Hic enim haec tantum scribit: „Fuit autem Ludgerus cupiens anxie gratia docendi ad Northmannos adire, sed rex Carolus nullatenus assensum praebuit” <sup>2)</sup>. Francorum regem autem opera et industria eius inter Saxones indignisse, recte vir cl. monet atque hoc mox exponere volumus.

§ 6.

LUDGERUS APOSTOLUS INTER SAXONES WESTPHALOS  
DEGENS. — CAROLI MAGNI CERTAMEN CUM IISDEM CESTUM. —  
APOSTOLI, QUI ANTE LUDGERUM IN WESTPHALIA EUANGELIUM  
ANNUNCIARUNT.

Sacculo octavo exunte, Carolus Magnus Saxones prorsus devicit, et in eorum regiones christianam religionem introducere quam maxime optavit. Licet enim Saxoniae incolae non omnes fidei essent expertes, quum iam antea nonnulli apostoli euangelii lucem iis afferre conati fuissent, belli tamen clamor et odium in Francos horum labores magnopere turbabant, ita ut adhuc maxima Saxonum pars pristino cultui adstricta esset, aut qui olim baptizati erant, iam confirmarentur omnino esset necesse. Quibus rebus iam meliore successu occurri posse, Carolo Saxonum imperium tenente, sperari licebat. Quare sine ulla mora Francorum rex huic rei consilium iniit, ac Ludgeri nostri quoque auxilio et ope usus est; cui, e quinque Frisiae pagis accessito, ut in Sudergo pago euangelii propa-

<sup>1)</sup> o. I. p. 299.

<sup>2)</sup> o. I. Lib. II, cap. 6.

gationi operam daret, mandavit <sup>1)</sup>). De huius pagi loco praecipuo Mimigerneford, qui hodie Monasterium (Münster) dicitur, infra uberius agemus, quum de Ludgero episcopo, deque eius sede episcopali disquiremus; hinc tantum commemoramus, Ludgerum a Carolo Magno in „occidentalem partem Saxonum” esse missum, i. e. in eam regionem, quae, magnam Westphaliae partem continens, postea episcopatus Monasteriensis nomine est vocata.

Occidentali igitur Saxoniae parti ab eo inde tempore Ludgeri praedicatione et doctrina frui licebat; in his terris iam apostolum nostrum operantem, docentem videbimus. Sed antequam de eius inter Saxones labore mentionem facimus, quo clarius meliusque Ludgeri de Westphalia merita nobis repraesentemus, breviter exponemus, quid quique apostoli iam antea essent operati, quamque Saxoniae partem hi, salutis in Christo nuntio allato, ad humaniores mores vocassent. — Certamen acerbum et diuturnum, a Carolo Magno cum Saxonibus gestum, sic silentio praetermitti non posse, ipsa res docet; nam non nisi per cladem et sanguinem etiam ad hunc populum Christi nomen penetravit. Quare paucis bellum illud Saxonicum tractabimus, nec tamen ita, ut singula quaeque consideremus; sed potius ea, quae praecipua iure habeantur, quaeque rei christianae propagandae imprimis profuerint, breviter depingamus <sup>2)</sup>).

Saxonum imperium, quum a mari Germanico Frisii populi seiungerent, ad meridiem autem Franci Salici et Ripuarii essent confines, inde ab Isala usque ad Visurgim patebat <sup>3)</sup>. Accuratiorem eorum finium descriptionem omnino desideramus, neque etiam certo significare possumus, quasnam partes habitaverint singulae tribus, in quas divisi fuerunt Saxo-

<sup>1)</sup> Alfridus: o. l. Lib. I, c. 20.

<sup>2)</sup> De hoc bello cf. N. Schaten: *Hist. Westphaliae*, Neuhusii, 1690. — Welter: *Einführung d. Christenthums in Westfalen*, Münster, 1830. — Rettberg: o. l. II, § 56—59.

<sup>3)</sup> Cf. Schaten: o. l. p. 420 seqq. — Rettberg: o. l. p. 379.

nes, nominibus distincti: Westphalorum, Engerorum, Ostphalorum. De sola prima harum tribuum paulo uberius agemus, quum ceterae duae non ad Ludgeri provinciam pertineant. Sin autem roges, quacnam regiones a Westphalis occuparentur, hoc unum animadvertimus, eorum terram postea continuisse dioeceses episcopatum Monasteriensis et Osnabruckensis, partemque episcopatus Coloniensis. Ex his vero facile videntur eorum fines indicari posse; sed tenendum est, Westphaliae partem occidentalem dioecesi Ultraiectinae postea additam esse, unde haud facile fines eorum, qui fuerint, posse describi, quisque intelligit. Inde quoque profluxit error, patriae nostrae partem, ad ripas orientales Isalae fluminis sitam, a Frisiis olim habitatam fuisse: iam supra vero monuimus, Saxones ibi sedes suas habuisse <sup>1)</sup>.

Fuerunt ergo regiones Saxonum et Francorum confines, ex quo confinio iam ante Caroli Magni tempora inter utrumque populum saepe lites ortae sunt; ac modo Saxones, modo Franci fines suos superarunt. Victoriis tamen, quas Carolus Martellus et Pipinus, filius eius, de Saxonibus reportarunt, id tandem effectum est, ut horum nonnullae saltem tribus se Francis submitterent, gravibus et duris conditionibus acceptis, in quibus etiam ea, ut euangelii praedicatores opus suum pium Saxones perficere sinerent <sup>2)</sup>. Nec tamen semper submitte victorum imperiis parebant Saxones. Saepe armis et vi erat opus, quibus duros eorum animos comprimerent Franci, quibus libertatis studium exstinguerent. Atque non raro Francorum gladios non metuit populus, libertatis et priscorum morum amantissimus; non raro efferbuit rebellio et continue pugnae acres et saevae gestae sunt, donec tandem exstitit heros, qui superbos gentilium animos fregit, rei christianae vi et armis prodesse studuit. Fuit hic Carolus ille Magnus. Anno enim 768 Pipino patri successit, ac successit ita, ut patris non solum regnum, verum etiam bellum Saxonicum,

<sup>1)</sup> Vid. p. 51.

<sup>2)</sup> Schafers: o. l. Lib. VI. — Reiffberg: o. l. p. 382—383.



quasi hereditate ei venisse videretur. Quidquid autem de rege, gladiis euangelii causam promovente, indicamus, quamquam libidinis, saevitiae et atrocitatis nimiae crimine vix cum absolvi posse putamus, hoc tamen certum, coactum fuisse Carolum id gerere bellum. Nam nimis de Saxonibus erat metuendum quieti imperii Francorum, ab eo praesertim tempore, quum, Visurgi trajecta, nulli amplius fines, ab ipsa natura profecti, illos a Francis dividerunt prohibueruntque, ne quid in vicinorum terram molirentur. Coactus fuit Carolus submittere Saxones, ut suos ipse fines tutaret; atque haec submittio fieri non potuit, nisi Saxones, ad religionem christianam conversi, cum Francis essent contributi <sup>1)</sup>. Nec vero nova res iis erat christiana religio. Iam saepius ad Saxones venerant apostoli, nec semper frustra horum fuerant labores. Quare de iis, qui ante Carolum Magnum in Westphalia praedicarunt, iam paullo accuratius inquiramus.

Anno 622 Bertoaldus <sup>2)</sup>, princeps Saxonum, ad Clotarium II, Francorum regem, legatos misit, qui ei bellum indicerent. Rex vero, iratus ob sermones audaces, fastidium superbum et sugillationem, qua legati eum affecerant, eos interfici iussit; et vix quidem Faro, episcopus Meldensis, id efficere potuit, ut supplicium in crastinum diem differretur. Brevi autem illa dilatione usus est episcopus, ut et legatis et Christi ecclesiae bene consuleret; noctu enim in carcerem se contulit ad Saxones, iisque euangelio annunciando persuasit, ut fidem christianam assumerent. Quum illuxisset dies, eos, candidis vestibis indutos, duxit ad Clotarium, qui viris, novissime ad fidem conversis, ignovit eosque, multis muneribus donatos, ad Bertoaldum remisit. — Haec narrata, quae memoriae tradita sunt a Faronis vitae <sup>3)</sup> scriptore, quodsi fide digna sunt habenda, nobis documento sunt, fieri posse, ut iam septimo saeculo incunte Saxones de re-

<sup>1)</sup> Cf. Rettberg: o. l. II, p. 383.

<sup>2)</sup> De quo cf. Schaten: o. l. p. 331 seqq.

<sup>3)</sup> Apud Leibnitz: o. l. t. I, p. 64. Cf. Rettberg: o. l. II, p. 394 seqq.

ligione christiana aliquid audierint; contra tamen valet, non verisimillimum esse, legatos, quos mortis metus tantum ad Christi fidem convertisset, eosdem in patriam reduces, in illa fide permansisse.

Sub finem saeculi septimi Suibertus <sup>1)</sup>, qui cum Willibrordo ex Anglia venerat, ad Bructeros se contulit et euangelium iis nunciavit, at non nisi per breve tempus. Nam paullo post Suiberti adventum Saxones in Bructerorum fines invaserunt; hi, ex patria depulsi, ad ripas Rheni fluminis migrarunt, et cum iis Suibertus quoque armis hostium cedere coactus est. Regionem igitur, in qua laboraverat apostolus, Saxones occuparunt; quumque sciamus aliquo illum successu inter Bructeros euangelii propagationi operam dedisse, fortasse Saxones, in Bructerorum terra sedem habentes, magis magisque euangelium assumerunt. Ipse tamen Suibertus inter Saxones non praedicavit. — Ex hisce ergo duobus factis nihil certi concludere nobis licet. Adsunt tamen alia testimonia, quae rem satis perspicue coram nobis adumbrant, de quibus nunc inquiramus.

Primi apostoli, qui ad Saxones profecti sunt, ut ad fidem eos converterent, fuerunt Ewaldi seu Hewaldi <sup>2)</sup>, duo fratres, qui ob erinium colorem inter se distinguebantur cognomine Albi et Nigri. Ili, ex Anglia orti, patriam reliquerant, ut in Hiberniam euangelium praedicarent; sed quo tempore Willibrordus cum undecim sociis Frisiam adiit, ad eundem laborem apostolicum hi quoque excitati sunt. Willibrordi igitur exemplum secuti Ewaldi, per mare se contulerunt in Saxonum terram, ubi hospitio accepti sunt a vici cuiusdam incola, quem rogarunt, ut se ad pagi principem duceret „eo, quod haberent aliquid legationis et causae utilitatis, quod deberent ad illum perferre.” Mox vero agnoscit populus viros illos esse christianos, nam audiunt gentiles hymnos et psalmos christianos; ac statim oritur metus, ne forte prin-

1) Vid. Beda: o. l. Lib. V, c. 12. Cf. Rettberg: o. l. II, p. 395.

2) De iis vid. Beda: o. l. Lib. V, cap. 11.

ceps a cultu patrum abalienetur; quo metu ductus, populus furibundus arripit apostolos, atque hi martyrum coronis ornantur. Princeps ille vero, caede nuntiata, ira incensus, quod peregrini non ad se sint ducti, „vicinos illos” interfici iubet ipsumque vicum comburi. Ewaldorum autem cadavera, quae nefarii in Rhenum flumen iccerunt, adverso flumine natant usque ad locum, ubi apostolorum socii adhuc degunt, qui, luce et flammulis subito excandescens et martyrum cineres illustrantibus, cadavera vident atque in aridum subducunt. Deinde a Tilmone, monacho quodam, qui antea stipendium meruit, ibi sepeliuntur cadavera, quae postea, iussu Pipini regis, Coloniam Agrippinam transmissa sunt.

Haec omnia de Ewaldorum martyrio Beda nobis narrat, sed eam narrationem non prorsus vero consentaneam esse, recte monuit Rettberg <sup>1)</sup>, et per se intelligitur. Nam primum Saxones non habitarunt ad Rhenum flumen, a quo Franci Ripuarii eos seiungebant; quocirca nullo modo cadavera in illud flumen iaci potuerunt, nisi ea potius ex brachio quodam Rhoni in ipsum flumen fluitasse statuamus <sup>2)</sup>. Praeterea iure miramur, tantam potestatem fuisse principi cuidam Saxonum, ut totum vicum comburi iuberet; et quaerimus, an tale quid convenire possit cum Saxonum rei publicae conditione et institutione. Quidquid tamen huius rei sit verum, hoc unum ex narratione luculenter apparet, Ewaldos apostolos ad Saxones venisse, eosque ab his interfectos esse; nam nulla exstat ratio, cur hoc negaremus, quum in universum Beda fide sit dignissimus.

<sup>1)</sup> o. l. II, p. 398.

<sup>2)</sup> Welter: o. l. § 8, p. 12 omnem difficultatem tollere conatur statuendo, eadem Ewaldorum accidisse in terra, quam Saxones Bructeris admissent, qui, ut idem putat, ad Rhenum habitaverint. Quodsi igitur Ewaldi interfecti sunt, Bructeris iam a Saxonibus depulsis, revera Saxones ad Rhenum habitarunt, et Bedae narratio omnino vera esse videtur. Minime vero haec pro certo sunt habenda, nam, ut Rettberg: o. l. II, p. 395 monet, Bructerorum fines antea usque ad Amisiam flumen patebant, et postea demum, a Saxonibus depulsi, ad Rhenum habitaverunt Bructeri. Manet ergo difficultas.

Bonifacio quoque vulgo locus tribuitur inter eos, qui Saxonibus euangelium annunciarunt; sed dubitari potest de eius inter Westphalos saltem labore, quia nulla certa testimonia adsunt, traditio autem minime semper fide digna habenda est <sup>1)</sup>. Maioris, imo maximi momenti propagationi christianae religionis in Westphalia schola fuit Ultraiectina, idque eo praesertim tempore, quum huic praeesset Gregorius abbas. Inde Marchelmum et Ludgerum ad Saxones venisse, qui ad ripas orientales Isalae fluminis habitabant, quique per Gelriam et Transisalaniam sedes habebant, iam supra animadvertimus. Ex eadem urbe missus est Lebuinus, quem Saxones, dum Marklone conventum agebant, ad fidem christianam amplectendam invocantem, ultionem iis fortis atque validi regis minantem etiam supra vidimus. Et revera rex ille venit; nam Carolus Magnus, quum, Carlomanno fratre mortuo, totius Franciae imperium teneret, Wormatiae anno 772 bellum Saxonibus esse inferendum constituit. Quo decreto stetit: mox enim exercitum in eorum regiones duxit, Eresburgam arcem cepit, Irmensulam diruit <sup>2)</sup>. Quid fuerit ea Irmensula, non satis manifeste patet, utrum simulacrum Dei cuiusdam, an locus sacer, an, quod magis placet, arbor aliquae, quam magni faciebant gentiles; luculenter tamen apparet fuisse rem aliquam, quae ad sacrum Saxonum cultum pertineret <sup>3)</sup>. Unde simul concludere nobis licet, Saxonum diis bellum indixisse Carolum; nam eam ob causam sustulit Irmensulam, meditullium totius cultus, ut paganismum everteret et apostolis christianis faciliorem redderet laborem. Saxones autem, talem ignominiam, qua rex victor deos suos afficeret, non patienter tulerunt; ira incensi, indignatione flagrantes, Westphali ubique christianos persequi coeperunt, comburere eorum ecclesias. Sic etiam factum, ut Lebuinus, ecclesia Daventriensi a gentilibus combusta, in fugam se

<sup>1)</sup> Welter: o. l. § 11; cf. tamen etiam Rettberg: o. l. p. 399 seqq.

<sup>2)</sup> Rettberg: o. l. II, p. 384. — Welter: o. l. § 17.

<sup>3)</sup> Cf. Rettberg: o. l. II, p. 384—386.

daret et Ultraiectum adiret. At Carolus, quum haec omnia ei nuntiata essent, Saxonum furorem coërcere properavit. Mox regi se submiserunt rebelles, obsides dederunt duodecim, qui iussu regis christianae religionis doctrinae docebantur eo consilio, ut, quum postea in patriam rediissent, civibus suis ad fidem convertendis operam darent<sup>1)</sup>.

Itaque quum pax convenisset, Lebuinus Daventriam rediit, ibique ecclesiam suam restauravit, dum Sturmius, abbas Fuldensis, cum discipulis nonnullis in regionibus Paderbornensibus euangelii propagationi inter Saxones operam navavit, adiuvantibus et timentibus certo militibus praesidiariis, quos in Eresburga arce Carolus habebat. Nec tamen uberissimi horum laboris fructus; nam Caroli absentia utentes, mox Saxones pacem constitutam violarunt. Francorum enim rex in Italiam se contulerat, ut Hadriano papae auxilium ferret contra Desiderium, Longobardorum regem. Saxones igitur, anno 774 congregati, ut Francos depellerent praestituerunt, idque prospero successu perpetrarunt; nam, Eresburga capta, tota fere Saxonia a Francis libera fuit. Sed non diu; statim enim Carolus ex Italia rediit et tres parvos manipulos militum praemisit, qui hostibus resisterent.

Anno sequenti vero milites in novam expeditionem contra Saxones eduxit, et de his victoriam reportavit, quin etiam ea fortuna bellum gessit, ut Hessi vel Hassio, princeps Ostphalorum, et Bruno, Engerorum dux, arma deponerent iterumque obsides darent. Unus tamen fuit, qui se Carolo submittere noluit, vir fortis ac strenuus, Francorum adversarius acerrimus, Widukind, Westphalorum dux, cuius nomen quidem inclaruit magis, quam eius vita innotuit. Quum Carolus rursus in Italiam abiisset, novum fecit in Francos impetum Widukind, longe lateque iis terrorem iniecit, ubique christianorum ecclesias, ut decorum honorem ulcisceretur, combussit. Sed ecce, rursus Carolus adest, quum celerissime ex Italia rediit, Rhenum flumen transiit et, exercitum Visurgim

<sup>1)</sup> Welter: o. l. § 17.

versus ducens, ubique victoriam reportavit. Quo prospero regis successu perterrita, ingens Saxonum copia ei obviam ivit, veniam petentes, pacem et vitam deprecantes, quos omnes Carolus benigne recepit atque christianos fieri iussit. Deinde nova pax reconciliata est, denuo obsides miserunt victi, ac Carolus, postquam novam arcem ad Lippiac fluvii fontes aedificavit, qua melius Saxonum impetibus resistere posset, Heristallum se contulit, ubi per hibernum tempus mansit, secum reputans, utrum benignitate melius quam armorum vi Saxones sibi submitteret. Anno 777 conventum egit in ipsorum Saxonum terra, non procul a Paderborn, inque eo conventu genti rebellanti persuadere studuit, ut sub Francorum imperium se subiungerent et christianam assumerent religionem. Dicto audientes fuere gentiles: plurimi ad victoris fidem confugerunt atque se baptizari passi sunt. Sed unus non aderat, dux ille fortissimus, quem iam supra memoravimus; aberat Widukindus, vir honestior, quam qui, in conventum veniendo, Francis se benevolum simularet. Eius absentia malum erat omen; nam pacem non diu futuram fore, omnibus perspicuum erat. Vix igitur Carolus in Hispaniam se contulerat, ut tribus Arabum principibus auxilium daret, quum Widukindus e latebris provenit, ac decorum et libertatis ultorem, Francorum adversarium infestissimum sese praebuit. Gladio omnes hostes e Saxonia expulit, usque ad Rhenum fugere Francos coëgit, et iuxta hoc flumen milites ducens, mox prope Coloniam Agrippinam castra metatus est. Sed porro in Francorum regnum impetrare ei non licuit; nam exercitus Caroli, ex Hispania reducens, victoriis Widukindi terminum statuit. Anno 779 rex conventum egit Duris (Duren) atque eodem anno contra Saxones profectus est, eosque saepius vicit apud Bockholt et Dotharpam (Darup), etsi Widukind tenacissime victori restitit. Per eas victorias Saxonum submissio valde est prosperata; nam, licet postea bellum renovarent, vires eorum fractae sunt. Nec non per easdem victorias imperium suum Carolus auxit, quum iam fines Monasterienses et Osnabruken-

ses in suam potestatem redegerit. Sic igitur res prospere peractas statim adhibuit rex ad christianam religionem propagandam in terras devictas, quippe quum Sturm <sup>1)</sup> abbas regis iussu ad Eresburgam veniret, ut cum sociis in his regionibus euangelium praedicaret. Fortasse ad idem tempus ecclesia Monasteriensis fundata referenda est; quae tamen res, testimoniis deficientibus, prorsus incerta est. Hoc unum scimus, Bernhardum, abbatem quemdam, a Carolo Magno illi ecclesiae praefectum esse; de tempore vero, quo id factum sit, sicut de labore Bernhardi, viri ceterum ignoti, nihil in fontibus nostris legimus <sup>2)</sup>. Vulgo autem putant, Carolum eum elegisse e clericis, quos semper secum in itinere habuit <sup>3)</sup>.

Plura nobis tradita sunt de Willehado, quem anno 781 Carolus apostolum in Wigmodia pago constituit <sup>4)</sup>, eo consilio, ut inter Saxones gentiles euangelii propagationi operam daret. Eodem modo Ecclesiae professe rex perrexit inter annos 779 et 782; huc atque illuc misit clericos, iussitque Saxones, ut decimas ab eo inde tempore in Ecclesiae Christianae usum solverent. Hoc autem decreto nec Ecclesiae, nec sibi ipsi revera profuit, quod iam praevидit Alcuinus; recte enim hic perspexit, tale onus Saxonum saltem genti nimis esse grave; sed frustra eius fuerunt admonitiones <sup>5)</sup>.

<sup>1)</sup> Vid. *vita Sturmi*, cap. 24; apud Pertz: o. l. II, p. 377.

<sup>2)</sup> Welter: o. l. § 20 coniecit Bernhardum anno 779 sive 780 a Carolo constitutum esse in dioecesi Monasteriensi. Ex *vita* autem *secunda Ludgeri*: Lib. I, cap. 17 patet, id factum esse „devicto sive converso Widukindo.“ Si revera Widukindus iam *conversus* fuit, de anno 785 cogitemus omnino necesse est; *devictus* tamen saepius est Saxonum dux, ac hoc in complures annos superiores convenit. Sed *vita secunda* simul enarrat, Bernhardum abbatem „ca quoque tempestate“ electum esse, qua Ludgerus in quinque Frisiae pagos missus est, i. e. anno 785; quamobrem mihi quidem hoc anno Bernhardum in dioecesin suam missum esse verisimilius videtur.

<sup>3)</sup> Welter: o. l. § 20. — Cf. *vita Sturmi*, cap. 22, quae nos docet, Carolum Magnum, quum ad bellum esset egressus, a multis clericis comitatum fuisse.

<sup>4)</sup> Anselmi: *vita Willehadi*, cap. 5.

<sup>5)</sup> Vid. Alcuini epist. 28, 37.

Carolus non, quo alio modo clericos aleret, sciebat; fortasse etiam nimis fractos et infirmiores Saxones esse putabat, quam qui fortiter oppressori resistere auderent. Tricennium sane quietis et pacis hanc sententiam probare videbatur; sed videbatur tantum. Quies enim illa serena praenuntia erat procellae appropinquantis. Anno 782 Slavi irruptionem fecerunt in Thuringiam et contra eos Carolus exercitum misit, in quo etiam Saxones milites auxiliarii stipendium meruerunt. Hi autem, armis post longum tempus induti, patriae libertatem denuo vindicare optant, prope Visurgim flumen subito Francorum legiones relinquunt et arma contra socios vertunt. Geilo et Adalgis, Francorum duces, interficiuntur, et cum iis magna exercitus pars a Saxonibus caeditur. Ecce Widakindus quoque provenit, cives suos ad pugnam contra hostes invisos excitat, ubique eius vox resonat, et, quasi afflatu divino ducta, ingens Saxonum et Frisiorum copia, viro fortissimo duce, arma capit et Francos depellit. In christianos quoque Widukindi ira se convertit, quorum ecclesiae destruuntur atque comburuntur, multi clerici interficiuntur <sup>1)</sup>).

Rebellio illa ultima pugna fuit Francos inter et Saxones; ultima luctatio inter christianam religionem et cultum gentiliū, sed acris eadem et vehementissima. Simulac Carolus Magnus malum nuntium accepit, magnum militum numerum quam celerrime eduxit, atque, ultor et iudex terribilis, in Saxonum finibus ipse apparuit. Grave supplicium de rebellantibus sumsit, quum iuxta Verden uno die quingentos et quatuor millia eorum securi percussit. Gravi isto supplicio rex Saxones timore et metu afficere voluit; sed quod voluit minime consecutus est. Quodsi enim antea aliquot tribus bellum contra Francos gessissent, iam omnes Saxones, facto crudeli exacerbati, Wodanum implorarunt, ut ad talem iniuriam ulciscendam auxilium ferret; iam totus populus a summo deo petierunt, ut ipsis, tyrannum cruen-

<sup>1)</sup> Vid. supra § 3.



tum oppugnantibus, adesset. Et profecto acerrimo proelio dimicarunt, sed quid valebant contra Francorum exercitus magnos atque exercitatos? Tandem arma deponere coacti sunt; at belli finis Saxonibus honorificus fuit; nam, quamvis victi essent, Carolus tamen primus pacem cum iis reconciliaret necesse fuit. Widukindus Francorum imperio se submit, recte intelligens, se non diutius hostibus resistere posse, et anno 785, aeque ac Alboïnus, Ostphalorum dux, Attiniaci (Attigny) baptizatus est. Quo facto bellum, quod Westphali contra Carolum gesserunt, ad finem perductum est; nam quamquam anno 793 <sup>1)</sup> novum bellum orturum videbatur, una tantum expeditione facta, rex rebellantes sedavit. Ab eo inde tempore Westphalorum terra pars facta est ingentis illius imperii, cuius auctor fuit Carolus Magnus.

Res Saxonicas enarrantes, ecclesiae christianae, Monasterii fundatae, pene obliti sumus. De hac igitur, sed de hac sola ex sedibus episcopalibus, quas Carolus in terra devicta erexit, mentionem faciamus, quandoquidem ibi Ludgerum nostrum invenimus. Bernhardo enim abbate, quem supra memoravimus, mortuo, Carolus Magnus Ludgerum ad sedem Monasteriensem vocavit, ut Saxones ad fidem convertere pergeret et conversos doceret. Quam autem hac in re operam navaverit, quidque nobis de illo labore innotuerit, de his iam videamus.

---

§ 7.

RERUM NARRATARUM CONTINUATIO, LUDGERI  
INTER WESTPHALOS APOSTOLATUM COMPLECTENS USQUE AD  
EPISCOPATUM EIUS.

Quodsi discendi cupidi, quidnam de Saxonibus meritis sit Ludgerus, Altfridi adimus librum, incontenti et spe nostra frustrati eum deponimus; nam brevis eius, nec tamen

---

<sup>1)</sup> Welter: o. l. § 28.

efficax, sed vaga et communis est narratio. Ita enim res tractat hic, — et ut hic, sic ceteri etiam Ludgeri biographi, — ut ambitum potius laborum viri egregii depingat, quam ipsos eos labores enucleate et accurate exponat. Altfridi de ea Ludgeri vitae gravissima periodo verba haec tantum sunt; „itaque more solito eum omni aviditate et sollicitudine rudibus Saxonum populis studebat in doctrina prodesse, erutisque idololatriae spinis, verbum Dei diligenter per loca singula scribere, ecclesias construere, et per eas singulos ordinare presbyteros, quos verbi Dei coöperatores sibi ipsi nutriverat” <sup>1)</sup>). Deinde episcopum Ludgerum factum esse narrat. Nostrum autem, antequam tam cito episcopum eum salutamus, hoc sine dubio erit, ut ceterorum biographorum aliorumque fontium ope inquiramus, quid, antequam episcopus ordinatus sit Ludgerus, apostolus in Westphalia operae consumserit.

Ac primum quidem, ut eo, quo volumus, perveniamus, locum Altfridi, quem supra descripsi, inspicimus, quaerimusque: quid ex eius verbis de Ludgeri labore efficere nobis licet? Atque en, mentio fit de idololatria, unde merito concludimus vestigia adhuc paganismi et reliquias invenisse Ludgerum, multosque Saxones apostolo nostro convertendos fuisse. Res sine dubio memorabilis; nam quae ad convertendum populum cum antea alii erant conati; armorum strepitus, quo iam Carolus Magnus horum conatibus prodesse studuerat; Bernhardi abbatis praedicatio, ea omnia sane in eam opinionem nos venire cogrent, quasi formae saltem externae gentilis cultus, quum Ludgerus Saxones peteret, iam omnino essent sublatae. Obest tamen Altfridi testimonium, atque hoc eo magis Ludgeri merita illustrat. Ceterum eodem modo ad Saxones venisse apostolum, quo supra Frisiis eum euangelium praedicasse vidimus, quum ex ipsa re, tum etiam ex Altfridi verbis intelligimus. Inter Saxones quoque primum euangelium annunciabatur, dein ecclesiae

---

<sup>1)</sup> Altfridus; c. I. Lib. I, cap. 20.

origebantur, quibus presbyteros dedit apostolus discipulos, ex sua schola profectos, atque ita pedetentim Saxonia in Ecclesiam Romano-Catholicam adscita est. Quod, Saxonibus iam plane submissis et devictis, facilius fieri potuit, quam antea. Pace diuturna ubique tranquillio-rem rerum conditionem efficiente, tranquillius etiam Ludgero in vinea Domini laborare concedebatur; et quum ecclesias in locis Mimigerneford, Billurbike, Coasfelt, Werthina apostolum condere legimus <sup>1)</sup>, nihil amplius commemoratur de dirutione horum aedificiorum, ut antea saepius nobis occurrit. Hac pace monasterii aedificandi consilium animum eius subire potuit, res haud sine difficultate, praesertim in regione hostili. Iam, ut supra enarravimus, monasterium Benedictinum, in Monte-Casino situm, institutum ab ipso Benedicto, Ludgerus adierat, ut huius ordinis regulas accurate et velut ex ipso cognosceret fonte. Has in monasterium, a se conditum, postea introducere cupivit. Sed quid tandem monasterium in terra, vix paganismo erepta? sic enim iure quaerimus, nec difficile videtur quod respondeamus, quamquam de ea re in varias partes disputari potest. Studium sciungendi se a mundo improbo et separatim Deo vivendi vitam, hoc Ludgerum impulsisse vix verisimile puto; potius inde causa petenda videtur, quod optima et saluberrima in populum, nuperime ad religionem christianam conversum, monachos efficacitate esse posse et plerumque etiam esse solere, Ludgerum minime fugit. Monasteria enim — nec argumenta nostrae sententiae, si probare vellemus, deessent — eo tempore thesauri erant doctrinae et scientiae; et eam ipsam ob causam etiam Westphaliae, vel potius suae dioecesi tale monasterium esse Ludgerus voluit, in quo artes liberales excolerentur, cuius monachi vita sua severa, ascetica et religiosa Saxonibus, nuper christianis factis, exemplo essent et vitae purioris moderationisque auctores. Hoc igitur sibi voluisse Ludgerum, verisimillimum putamus, quamquam, ut diximus,

<sup>1)</sup> Alfridus: o. l. Lib. II, cap. 7, 8.

in varias partes hac de re disputari potest. Quidquid autem de ea sit cogitandum, hoc pro certo haberi potest, maximo studio et amore monasterii condendi consilium diu in pectore fovisse Ludgerum; et loca, quae ad hoc consilium efficiendum eum elegisse *vita secunda* tradit, nec non temporis spatium, quo *traditiones* commemorant eum terras nonnullas ad monasterium instituendum quaesivisse, ea omnia manifeste docent, ante Ludgeri episcopatum monasterium aedificari coeptum esse. De hoc monasterio paulo amplius nobis est agendum, ac ne confuse aut vage res, eo pertinentes, exponamus, a principio inde incipiamus.

Quod ad locum igitur attinet, perdifficile erat Ludgero, eum sibi iustum et idoneum eligere. Ex Altfridi verbis: „Erat cupiens in hereditate sua coenobium construere monachorum” <sup>1)</sup>, collatis cum loco alio <sup>2)</sup>, unde „haereditatem paternam” Ludgeri in Werdina (Wicrum) sitam fuisse discimus, coniecere sine dubio nobis licet, primum in Werdina monasterium aedificare apostolum in animo habuisse. At Werdina proxime mare erat, et ne venirent Northmanni illi, iam Ludgero magnus erat metus <sup>3)</sup>; quam difficultatem, quas angustias, quantas miserias piratae terribiles hi patriae suae essent illaturi, praevидit apostolus, ac monasterium pacificum suum, ne miseris istis et malis fatalibus esset obnoxium, loco tutiore, a mari remotum magis et in interiore terra positum esse voluit. A Werdina igitur ad Withmund <sup>4)</sup> animum advertit, ad Isalam situm locum, nec procul a Sutfania. At neque hic monasterium crexit Ludgerus, quum, ut putant <sup>5)</sup>, propter effluvia, quibus haec regio obnoxia esset, sapienter prospiceret, monasterium suum ibi florere non posse. Forsan etiam aliae causae aderant, quas nobis longinquitas tempo-

<sup>1)</sup> o. l. Lib. I, cap. 18.

<sup>2)</sup> o. l. Lib. II, cap. 3.

<sup>3)</sup> Postea hac de re visionem aliquam Ludgeri enarrabimus, quam memoriae prodidit Altfridus: o. l. Lib. II, cap. 3.

<sup>4)</sup> Hodie Wigmond. — Cf. *Vita II*, Lib. I, cap. 29.

<sup>5)</sup> Tadama: *Gesch. van Zutphen*, p. 34.

ris in oblivionem abduxit. Nam regionem eam imprimis allexisse Ludgerum ac delicias fuisse apostoli nostri, inde patet, quod in Withmundia ecclesiam condidit, inque ea reliquiarum suarum nonnullas (memorant traditiones reliquias S. Salvatoris, Mariae semper virginis, ceterorum sanctorum) deposuit. Quam ecclesiam divitiis continuo augere, locupletare magis magisque studuit agrorum et praediorum possessionibus, ab opulentis fundorum dominis in beneficium huius ecclesiae sibi datis „pro remedio animae et pro aeterna retributione.” Haec nobis innotescunt e traditionibus annorum 793, 794, 797, 799, 800, 801<sup>1)</sup>.

Quum igitur Withmund ad aedificandum monasterium non satis aptus videretur locus, Ludgerus initio quidem magis idoneum putavit locum, proxime Arnapam (Erft) fluvium situm, nec procul a Neusz distantem<sup>2)</sup>. Locus hic est in Ludgeri vitae enarratione et in traditionibus nomine Ad-Crucem insignitur, quod nomen inde ortum, quod Ludgerus, quum hiemali tempore in regiones eas advenisset, crucem ligneam erexit, eo, ni fallor, praesertim consilio, ut locum, ubi monasterium esset aedificaturus, iam statim sanctificaret et Deo voveret<sup>3)</sup>. Sed neque hoc loco Ludgerus, etsi nil ardentius cupuisse videtur, monasterium condidit. Consilium enim mutavit, et causam huius rei *vitae secundae* scriptor eam fuisse tradit. Postquam enim ad Arnapam venit apostolus, ieiunio et precibus semet ipse exercuit, ut divinae providentiae voluntatem posset accipere, ac, an locus, quem ipse elegerat, etiam huic placeret, cognosceret. Quum igitur iam vesperasset, separatus a suis, ante crucem, a se erectam, genua volvit. In terra alta nix iacebat; acre feriebat frigus; sed neque nix, neque frigus virum pium et strenuum absterere valebant: ac vigilans et precans noctem peregit. Et precanti pio apostolo ecce revelatio contingit, quae cum

1) Vid. Lacomblet: o. l. I, n<sup>o</sup>. 2, 4, 9, 14, 16, 22, 25.

2) *Vita* II, Lib. I, cap. 29.

3) Cf. cl. W. Moll: *Gesch. van het kerkelyk leven*, II, p. 19, annot. 4.

monet, ut a consilio suo absistat, locumque alium monstrat in silva, prope Ruhram fluvium sitam, quippe qui omnium sit aptissimus ad monasterium aedificandum <sup>1)</sup>). Sic igitur divinitus monitus, etiam Arnabam reliquit; sed ut Withmundiam, sic etiam Ad-Crucem amore semper complexus est apostolus. Nam etiam ibi ecclesiam extruxit, ubi reliquiae deponerentur, et saepius deinde a viris nobilibus e Saxonum gente munera et dona ampla in Dei honorem sunt oblata. Etiam hoc e traditionibus iisdem constat <sup>2)</sup>).

Maximus autem numerus est traditionum earum, quae ad regionem, ad Ruhrae oras sitam, pertinent; quo loco ut postea monasterium Werthinense aedificaret, Ludgerus, iam ab ipso Deo monitus, constituit. Quod consilium mox magna cum diligentia peregit. Nam ut primum ab aliis rebus vacavit, iter ad Ruhram incepit, comitatus nonnullis, quos ad opus suum grave necessarios et idoneos haberet. Ne quis autem miretur, tria loca deinceps sibi elegisse apostolum, ad fluvium omnia sita. Nam monasterium non solum foret aedificium ligneum aut lapideum, verum etiam agri erant futuri monachis nonnulli, quibus colendis victum sibi quaerent; ac, ne sterilis inveniretur terra, fluvius prope adesset necesse erat. Quod virum prudentem et sapientem, qualis fuit Ludgerus, quum tanta diligentia, tanta prudentia locum sibi elegerit, minime fugisse verisimillimum est.

Tam vero una cum Ludgero proficiscamur ad Werthinam (Werden) — nam sic in posterum monasterium, ibi conditum, nominaturi sumus — videamusque, quae in ea regione sint facta, antequam aedificii iacere fundamenta apostolo nostro datum fuerit. In quibus rebus enarrandis *vitam secundam* sequimur. Nec tamen obliviscamur, vitam eam conscriptam esse iis temporibus, quibus summa laude viri magni memoria ita imprimis celebrari videretur, si omnia, ad eius vitam pertinentia, nimbo quasi miraculorum fulge-

1) *Vita* II, l. 1.

2) Vid. Lacomblet: o. l. I, n<sup>o</sup>. 5, 24.

rent, aut potius tegerentur nebula ea vaga et fallaci; quibus temporibus talem virum in omnibus conatibus et laboribus Dei auxilio visibili usum esse, naturae vires sibi submissas habuisse, omnia denique potuisse, quisque pie credidit aliisque persuadere amavit. Meminerimus etiam, Alfridum, testem et scriptorem vitae Ludgeri omnium fide dignissimum, de miraculis illis prorsus tacere. Quum igitur maior sit difficultas vera a falsis et fictis secernendi, quam quae paucis hîc possit solvi, religiose potius, quae scriptor narrat <sup>1)</sup>, exponamus.

In regione quadam ad Ruhram fluvium, non procul a Diapanbeci (Diepenbeek) vico, Ludgerus cum sociis suis tentoria fixerat, ardentem quam primum laborem incipere cupiens. Nec multum a castris apostoli distabat silva, specie tristi et minaci in coelum tendens, cuius arbores erant caedendae, quo locus adesset, ad monasterium aedificandum idoneus. Laborem autem hunc fore difficillimum, nec uno ictu robora antiqua, brachiorum millia, superbe in coelo vibrantium, non sine multo sudore lapsura esse securium vi, Ludgeri socios minime fugit. Quos ne mireris idcirco defecisse animo, inane et ingratum fore opus conclamasse, haesitasse etiam incipere eam decidere silvam, in qua tanta esset arborum copia, ut solis lux eo non penetrare, ne coelum quidem conspici posset. At Ludgerus, Deo suo confisus est, et: „Quod hominibus fieri non posse videtur,” inquit, „id a Deo fit;” et eius admonitione accepta, rursus operae ad opus accesserunt. Quum igitur vesperasset, et omnes lassissimi et fatigati ab opere cessassent, Ludgerus nihilominus vigilare constituit inque precibus noctem peragere. Quocirca, quum iam omnes dormire putaret, clanculum e lectulo exsurrexit atque tentorium suum reliquit, solus et e nullo visus; sic enim opinatus est, sed frustratus est ea opinione. Nam per tenebras noctis alter mox pium apostolum secutus

---

1) Vid. *Vita* II, Lib. I, cap. 30, 31.

est, Thiadbaldus <sup>1)</sup> quidam, presbyter, qui curiosus nimium, quid tandem Ludgerum commosset, ut foras exiret, cognoscere cupivit. Sed conspexit eum Ludgerus, nec facile se, dum proceretur Deum, ab aliquo conspici ferens, se videre voluisse simulavit, quota esset hora noctis, et tentorium suum rursus petiit. Iam rursus igitur aliquamdiu expectavit, quumque etiam Thiadbaldum dormire putaret, denuo foras exiit. At rursus idem eum clericus secutus est; quocirca iam se speculatorem Thiadbaldum sequi suarumque precum futurum conturbatorem intelligens, succensuit paulisper apostolus, ac voce severa et gravi clericum cubitum ire iussit nec, antequam illuxisset, a stratis surgere. Paruit Thiadbaldus, quem ut falleret, Ludgerus tentorium intravit, nec reliquit, priusquam dormire clericum sibi est persuasum. Sed tunc libere sub arbore genua volvens, Deum precatus est, ut sibi adesset consilio, ut sibi opem ferret, ut benignum praeberet se et potentem auxiliatorem in opere gravi et difficillimo, quod iam esset incepturus. Dein dormitum tentorium intravit inque lectulo membra sua disposuit, a nullo, ut putabat, visus, a nullo auditus, nisi a Deo suo.

Atqui conspectus erat nihilosecius vir pius, et quidem conspectus ab eodem illo Thiadbaldus, quem ne minimum quidem eorum, quae fecerat Ludgerus, fugerat. Nam quum iussu Ludgeri in lectulo manere cogeretur, velo, quod tentorium tegebat, remoto, ad lucem lunae cuncta viderat. Miratus profecto est magistrum pium, media nocte Dei auxilium invocantem; sed magis sine dubio est miratus, quin perplexus non esse non potuit ac conturbatus, quum pre-

---

<sup>1)</sup> Non praetermittendum est, eo ipso, quod Thiadbaldi nomen commemoratur, suspicionem oriri, ne dicam, probari, *vitalis secundae* narrationem nimis fucosam esse factam traditione. Thiadbaldus enim inter eos fuit, qui Alfridi narrationis materiam praebuissent, atque hic, si revera simile quid esset factum, eorum, quae Werthinae facta esse *vitalis secunda* narrat, sine dubio Alfridum certiore fecisset. At, ut dixi, Alfridus miraculum, hic narratum, prorsus ignorat, aut certe nihil hac de re refert.



ees serias apostoli a Deo exauditas esse, mox manifeste comperiret. Ecce subito nox serena tenebris est occultata; nubes densae expansum oculis condiderunt, tonitru contremuit coelum; stridunt venti ruentes: magna exoritur tempestas. Ineunt pugnam pro Dei servo ac ministro ipsae naturae vires; huic et comitibus eius parcunt ac omnem vim suam in silvam magnam exercent. Ruunt, redeuntque impetu maiori, lentant arbores robustas, divellunt quercus antiquas, quae multos annos maximas sustinere procellas. Et rursus exoritur ventus et rursus aliae cadunt, quae sollicitudinem Ludgeri commoverant; ipse enim Deus servo suo validum fortemque socium conciliavit ventum. Fit lux, egrediuntur Ludgerus et socii eius ex tentoriis, ac laeti, quam fecerat procella ruinam, vident. „Iam coelum conspicere potestis, quod heri frons oculis abstulerit?” sic iocans, apostolus summus discipulos rogavit, qui prae gaudio et miratione, quod responderent non habuisse facile intelliguntur. Nam iacebat ad pedes eorum silvae magna pars, satis praebens spatii ad monasterium aedificandum; arbores maiores ventus evulserat, et arboribus frugiferis fruticibusque, quae facili negotio possent excidi, his solis pepererat procella. At non omnes iacebant arbores; quercus una ingens ventis restiterat, et superbe adhuc media inter ceteras evulsas stetit erecta. Hanc nec venti nec fulmen quidquam laeserant, ac rami eius innumeri nullam labem acceperant: nam sub his ramis preces suas Ludgerus fuderat. In umbra eius igitur sedem faciendam curavit apostolus, unde totam planitiem operasque, in ea laborantes, conspiceret. Ibi eum invenit Othelgrimus, clericus, quem ex itinere longinquo reducem Ludgerus rogavit, idoneumne locum esse putaret ad aedificandum monasterium. Othelgrimus autem, insolita luce vultum apostoli lucere animadvertens: „in tua facie video,” inquit, „hoc opus sine Dei voluntate non esse inchoatum; locum, iam olim a Deo electum, opportunissimum divino servitio futurum.” Quibus verbis laetus Ludgerus: „Gratias,” inquit, „habe, quoniam secundum voluntatem meam

locutus, benevolentiam, quod solum homo potest, tuam ostendis: ceterum effectus in Dei est potestate constitutus. Illud sane nosse te volo, quod tamen aliis, me vivo, te publicare interdico, in hoc loco me diem iudicii expectaturum, et, corpore exutum, me, ubi nunc sedeo, monumentum habiturum" <sup>1)</sup>). Itaque viri pii desiderium intelligens, Othelgrimus diligenter arborem illam oculis et mente notavit, quumque postea esset decisa, lapidem in locum eum abscondidit, quem postea operae, Ludgeri parantes sepulcrum, invenerunt.

Hactenus ergo secundi biographi narratio de abbacia Werthinensi condita; cuius narrationis qui abundant flosculi coloresque vivi miraculorum, eos vexare ac discernere aliis relinquo, nec *ἀξιωματίας* diiudico, quoniam quae de iis vere narrata sint quaeve falsa et ficta, nostrum non ita multum interest. Maioris vero est momenti, ut, quo anno coenobium sit conditum, inquiramus. *Vita secunda* de eo prorsus silet; atqui e traditionibus, saepius laudatis, aliquid saltem certi efficere possumus. Alia <sup>2)</sup> enim harum docet, d. 24 m. Febr. 796 Ludgerum accepisse partem quamdam Heissi silvae, ad Ruhram fluvium sitam. In alia autem traditione <sup>3)</sup>, data d. 31 m. Mart. 796, qua item agri nonnulli ad eundem fluvium Ludgero donantur, iam *abbas* vocatur apostolus. Quum vero traditiones posterioris temporis aliae abbatem eum appellent, aliae presbyterum, coenobium anno 796 nondum absolutum fuisse videtur, etsi huius anni vere iam fundamenta posita erant. Haec de anno; iam vero rebus ipsis narrandis pergamus.

Prope coenobium ecclesiam aedificavit Ludgerus in honorem "S. Salvatoris et sanctae Dei genitricis, sanctique apostolorum principis Petri" <sup>4)</sup>). Quando autem Werthina fuerit absoluta, fontes non narrant. Neque etiam Cincinnius annum dicit; sed eo plura habet de Ludgeri clericorum pertinacia

1) *Vita* II, l. 1. cap. 31.

2) Lacomblet: o. l. I, n<sup>o</sup>. 6.

3) *Ibid.* n<sup>o</sup>. 7.

4) Altfridus: o. l. Lib. II, c. 8.

et perversitate, qui monachi fieri recusarent. Ne quid desit, ea, quae a Cincinnio <sup>1)</sup> narrantur, breviter exponimus.

Quum abbatia Werthinensis propemodum esset perfecta et absoluta, Ludgerus clericos conquisivit, qui vitam monasticam in coenobio eo agerent. Sed Saxones et Frisii, qui maximam partem comitatum apostoli efficiebant, adhortationes eius neglexerunt nec mundi blanditias cum coenobii dura tranquillitate commutare voluerunt. Mox igitur Ludgerus a vanis monitionibus et sermonibus suis abstinere debebat; nam munus eius alio proficisci cum coëgit, coenobiique curam Hildigrimo fratri et Gerfrido nepoti mandare. Qui, quum ita Ludgerus iussisset, omnibus viis, voce et lateribus persuadere clericis conati sunt, ut cucullam ac vota monastica in se susciperent; pulcherrimam optimamque eam asceticam esse vitam singulis diebus clericis decantabant; per eam solam tentationes diaboli posse caveri.

Nec tamen clericis persuadere valobant: semper hi recusabant; nam vehementer metuebant, ne forte quis postea sese offerret, iura sua violaturus, bona empturus, ipsos domu et agris expulsurus. Inanem quidem hunc esse metum Hildigrimus et Gerfridus dicebant, cuncta coenobialibus suis mancipio Ludgerum esse daturum, nec quicquam sibi aut affinibus cognatisve suis petiturum. At omnia frustra erant. Donec tandem rediit Ludgerus ipse, et, cognita causa, quae a vita monastica clericos suos deterreret, promissis fratris et nepotis stetit, ac futuris monachis locum dedit; qui, iam nullo amplius difficultate obsistente, eodem illo die mundo valedixerunt, seque ab eo inde tempore Benedicti asseclas professi sunt. Praeterea has sibi posuerunt leges: ne cuiquam abbatiae praesesse liceret, invitis fratribus ceteris; neve quisquam aliquam exerceret auctoritatem, non concedentibus monachis. Ludgero auctore et suasore ita statuerunt coenobitales; nam nihil iam carius habebat apostolus, quam ut libertatem et iura monachorum, qui in sua abbatia futuri

<sup>1)</sup> o. l. Lib. I, c. 39—42.

essent, tueretur, vindicaret. Quin etiam, quo iura haec stabiliret, ac publica auctoritate sanciret, ad ipsum Carolum Magnum profectus est, privilegium quoddam coenobio suo petiturus. Qui quum magnopere apostolo delectaretur, Werthinae tutelam in se suscepit abbatiaeque donum dedit Lothusam, monasterium in Brabantia situm.

Haec a Cincinnio narrata ipsi fontes ne verbo quidem commemorant. Cuncta autem ficta esse ab illo, vix credimus, quandoquidem diserte affirmat scriptor in operis praefatione, se omnia e documentis antiquis hausisse. Fortasse igitur in opere suo scribendo libris manuscriptis usus est, qui, in coenobio Werthinensi inventi, non sine additamentis nonnullis, quae uberrima praebuisset traditio, essent compositi ac conscripti. Quocirca, quatenus vere narraverit Cincinnius, diiudicare non possumus. Tantum de Lothusa, Werthinensi abbatiae donata, vestigia nonnulla inveniuntur in Caroli Magni diplomate, dato d. 26 m. April 802 <sup>1)</sup>, in quo imperator Ludgero „proprias res suas, i. e. fiscum suum, qui vocatur Lothusa, in pago Brabant, cum omni integritate in proprietatem donat.” Quamvis autem genuitas manuscripti, qui invenitur in monasterio Werthinensi a multis viris doctis in dubium vocata sit, nec immerito <sup>2)</sup>; rei tamen veritas luculenter apparet ex hisce Alfridi verbis <sup>3)</sup>: „dedit quoque Ludgero rex Carolus in regno Francorum in pago Braebante, in loco, qui Lotusa vocatur, monasterium S. Petri gubernandum cum omnibus adiacentibus suis, ecclesiis et villulis.” — Hisce rebus observatis, missum facimus Cincinnium, bona fide quidem e documentis, quae invenisset, eum hausisse putantes, nec tamen hanc ob causam multum narrationi eius tribuentes.

Supra in nonnullis traditionibus abbatem nominari Lud-

---

1) Vid. Lacomblet: o. l. I, n<sup>o</sup>. 26.

2) Cf. Bolland: o. l. *comment. praev.* p. 635; imprimis vero Lacomblet: l. l. p. 14, annot. 2.

3) o. l. Lib. I, c. 21.

gerum diximus. Nomen hoc inditum ei videtur, quum iam fundasset coenobium Werthinense, eumque ornasse usque ad id tempus, quo episcopus ordinatus honorificentius nomen sibi iure repetere posset. Attamen ante hoc tempus locum summum occupavit in provincia ea, quam Carolus Magnus ei commiserat. Nec vero omne tempus suum et operam in abbatiam regendam collocare eum ceterae eius occupationes sinebant. Nam etiam dioecesin suam visitare, Dei verbum in ea praedicare, clericos ordinare, ecclesias dedicare, haec omnia ex munere suo ei facienda erant imposita. Praeterea Werthina non in iis regionibus sita erat, quarum apostolus et pastor Ludgerus erat institutus. Sita enim erat in ea Saxoniae parte, quam episcopus Coloniensis curabat. Sed, quaerat quispiam, cur in aliena dioecesi abbatiam suam condidit Ludgerus, quum haec ipsius apostoli cura indigeret? Nonne erat metuendum, ne quando Coloniensis episcopus sibi repeteret monasterium, quod in sua dioecesi esset sita? Ad quae cum Erhardio <sup>1)</sup> hoc, quod respondeamus, verissimum habemus. Nam non duo diversa munera ea Ludgerus habuisse videtur, et dioecesis suae curam et abbatiae regimen, sed putasse alteram cum altera arcte cohaerere, quum monasterium sibi seminarium esse vellet presbyterorum, qui postea in dioecesi sua ecclesiis christianis operam essent daturi. Hanc etiam ob causam non in sua dioecesi abbatiam condidit; ibi enim nimis adhuc rudia omnia erant, non satis abunde aderant, quae educationi exquisitiori inservire possent; quocirca in regione vicina Werthina condenda erat, ubi pax stabilita locum relinqueret animo excolendo. Si cum Erhardio ita rem sese habuisse putamus, facile etiam intelligimus, magnopere dilexisse Werthinam suam Ludgerum. Fuit enim is vir apostolus noster, cui, quum ipse eruditione exquisita esset usus, tale seminarium pergratum carissimumque esse necesse erat.

Monasterium Werthinense regulas ordinis S. Benedicti

<sup>1)</sup> *Geschichte Münsters*, p. 38.

sequebatur; quod non mirabimur, si hunc ordinem universalem fuisse per Ecclesiam Occidentalem meminerimus. Huius ordinis regulas Ludgerus, ut bene cognosceret, per biennium in Monte-Casino edidicerat, atque ad eius normam monasterium suum esse cupivit. Iam igitur nonnulla de horum monasteriorum conditione et regimine in medium proferamus, Benedictique regulam fundamentum eorum, quae narrabimus, habeamus. Addeamus his, quae in Werthinam peculiariter convenire, nobis e fontibus constant <sup>1)</sup>.

Princeps igitur institutionis *abbas* est, qui veluti pater familias omnia disponit, omnia regit. Quisque ei parere debet, ut ex monastici voti ingenio et vi sequatur necesse est; ac ita regulae dominus est abbas, ut huius dispensationem, quae dicitur, praebere ei liceat. Werthinac autem horum abbatum primus Ludgerus noster fuit; eo saltem nomine gaudet apostolus. Idem vero, quum multis rebus simul vacaret, Werthinac semper adesse non potuit. Itaque potius curasse, quam gubernasse monasterium Ludgerus dicendus est; quod idem valet de successoribus eius, quorum nullus ante annum 877 abbatiae soli operam dabat, verum aliis etiam occupationibus detinebatur. Sed hoc anno Hildigrimus, episcopus Halberstadiensis, a Ludovico rege impetravit, ut in posterum ex ipsis monachis abbas eligi liceret <sup>2)</sup>; et ab eo inde tempore Werthina nullius amplius alienae curae et ditionis erat, sed suis ipsa rebus prospiciebat.

Secundus ab abbate habetur *praepositus*, quippe qui illius loco et auctoritate vitam monachorum domesticam circumspiciat, regat curetque. Ordinatur hic ab ipso abbate, et munere, si forte necesse videatur, ab eodem deicitur; ordinatio igitur haec gravitate et auctoritate ordinatione abbatibus superatur. Cui adest *decanus*, qui disciplinam vindicet, i. e. qui videat, utrum secundum ordinis regulam vivant monachi, necne. In monasteriis maioribus plures decani in-

1) Cf. Rettberg: o. l. II, § 106: *Innere Verfassung der Klöster*.

2) Behrends: o. l. p. 69.

veniuntur, singuli *decaniis* monachorum praepositi, quorum *senior decanus* principatum tenet. — *Cellarius* porro, praeposito parens, item res domesticas moderatur. Providet hic alimenta abbatiae, cibum impertitur, aegrotantes curat, nec non infantes, hospites, pauperes; asservat custoditque instrumenta varia, vestes, cet.; adsunt ei e monachis nonnulli adiutores et subministratores. — Postremo in cellula portam servat *ianitor*, cui item fratres iuniores sunt additi. Nec praetermittendus est *custos ecclesiae*, cuius munus et officium quid esset, ipsum nomen indicat. Hoc munere post Ludgeri mortem functum esse Adalvardum quemdam, Alfridus nobis est auctor<sup>1)</sup>.

Fratres servientes in monasteriis Benedictinis non inveniuntur, quum ipsi monachi omnibus officiis muneribusque fungi debent; unde sequitur ipsum etiam monasterium instructum esse oportere iis rebus omnibus, quae ad victum opus sunt. Quod attinet ad Werthinam, uberrime ea monasterio suppetierunt, cuius rei documenta nobis adsunt traditiones, et quae ante et quae post Ludgeri mortem sunt conscriptae; in his enim sermo saepius est de magnis agris, pascuis, silvis, fluminibus, quae abbatiae donantur. Agricul-turam ergo ceterumque laborcm ipsi monachi Benedictini exercebant; cibi curam inter se commutabant et per vices monachi ipsi coquinabant.

Vestimenta Benedictinis praescripta sunt: *cuculla*, *tunica* et *scapulare* (amiculi quoddam genus); incedunt autem fratres aut calccati aut soleati. Praeterea cuique monacho cingulus erat, culter, tabula ad scribendum destinata, acus et mantelium. — Dormitorium satis amplum esse debet, ut cuncti unâ esse possent, aut, si hoc fieri nequit, ita cubiculatum, ut singula conclavia decem vel viginti monachis spatium dignum praebcant. Totam noctem lychnus lumen spargit; dum dormiunt monachi, seniores iuxta iuniores, suum quisque cubile habens, vestibus induti et accincti, ut semper

---

1) o. I. Lib. III, c. 17.

sint parati. Cultri tamen deponuntur, ne vulnerent dormientes.

Cibos eligere fratribus conceditur duas olerum patinas, nec non et poma; panis singulis diebus datur libra pondo. Abbati tamen, si difficile quod opus faciendum est monachis, plus concedere licet; caro non nisi aegrotantibus et infirmis praebetur. Vini in singulos dies heminam (modium quemdam) Benedictus praescripsit, si saltem satis adesset copiae. Quodsi vero quis abstinet a cibo aut potu aliquo, hic mercedem a Deo accipit; sicut quae quis corpori suo deducit, sive cibum, sive potum, seu somnium, ea omnia sacrificia habentur, Deo oblata et grata. Inter coenam, utpote concoenationem, e libro aliquo ascetico a *lectore* praelegi solebat, et haec provincia per vices singulas hebdomades cuique erat obeunda. Cuius lectionem interpellatione nemini interrumpere licet; sed quae quis dicenda habeat, ea signis aut quocunque alio modo cum silentio indicat. Lector ante ceteros paululum cibi sumit, ne ieiunus munere fungatur; sed plena demum vescitur coena cum monachis servientibus.

Hospitalitatem Benedicti institutiones magnopere commendant; nam hospite et peregrino accipiendo, ipse Christus hospitio accipitur. Quare accipiendi hospites praeposito est mandata provincia; iisdem serviendi et necessaria praebendi, duobus e fratribus, qui per unius anni spatium eo munere funguntur.

Anni ecclesiastici tempus coenae horam constituit. Inde a Paschali festo usque ad Pentecosten antiquitus tempus erat festum, cibique sumebantur bis die, hora sexta (meridie) et vespera. Post Pentecosten vero, per totam aestatem, die Iovis et die Veneris, quas ab antiquissimis temporibus in ieiuniis peragabant Christiani, hora tantum nona cibos sumebant monachi. Porro, inde a die 15 Septembris m. usque ad Quadragesimam, coena habetur hora nona; et per Quadragesimae tempus usque ad festum Paschale cir-



citer horam vespertinam, ita tamen constitutam, ut Iychno non sit opus, dum coeantur monachi.

Pendent officia, tam diurna, quam nocturna, a septem horis canonicis, quae sunt: matutina, prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorium; praeterea nocte vigilia seu nocturna. His igitur horis preces recitantur, pericopae biblicae praeleguntur et, quod ἀσκήσεως haud minima est pars, psalmi canuntur per satis longum tempus, nam quavis hebdomade totum psalterium est decantandum. Hiemis tempore vigilia incipit hora secunda nocturna, psalmo XII canendo; aestate autem paullo serius. Matutinae porro initium est sole oriente, prima sole iam orto, atque eodem modo pergunt horae, donec adest completorium, i. e. tempus, antequam cubitum eunt monachi. Tempus autem, quod inter singulas horas interceditur, in lectionem aut opera quotidiana impenditur, sed ita, ut variis anni tempestatibus varia etiam opera sint constituta.

Disciplina est penes abbatem, estque ea, ut aut reprehendantur sotes, aut a mensa chorove excludantur, aut etiam vapulent.

Qui vitam monasticam degere cupit (*pulsans* hic vocatur), is, antequam in numerum fratrum recipitur, experimenti gratia per anni tempus difficultates et labores vitae illius novae et insuetae docetur. Tribus enim vel quatuor diebus consumptis, in cellulam mittitur hospitibus destinatum, deinde in novitiorum cubiculum, ubi interdum, duobus, quatuor, sex mensibus interlapsis, regulam ei praelegit aliquis e fratribus. Tandem inter monachos assumitur, quod fit per petitionem aliquam, quae aut ipsi, aut alii cuidam eius loco, signanda est super sanctorum reliquiis. Bona eius fiunt pauperum aut monasterii; votum et promissum eius per totum vitae spatium valet.

Inter novitios pueri quoque recenseri solebant ii, quos parentes vitae monasticae destinassent, ideoque nomine *oblatorum* vulgo distinguerentur. Traditur talis puer monasterio per

petitionem, quae una cum manibus infantis linteo involvitur. Puero, quum aetate creverit, in mundum redire non licet. Patrimonium eius a parentibus aut statim tradendum est monasterio, aut, dum vivant, eo uti conceditur; hoc solum promittant, ut nunquam filio quidvis de hereditate tradant. Numerum autem horum puerorum permagnum fuisse, inde apparet, quod de iis saepenumero Benedictus loquitur; atque eorum eruditio et cultus proxima fuit causa scholarum illarum, qualem fuisse vidimus scholam Ultraiectinam, ubi ipse Ludgerus noster puer oblati degebat. Etiam Werthinac talem puerorum fuisse scholam pro certo affirmari potest, quum Altfridus <sup>1)</sup> Hildiradum quemdam commemoret *scholasticum*, quo nomine is vulgo indicabatur, qui pueris docendis vacaret. Quod munus sine dubio nonnulli e 24 vel 30 monachis, qui Werthinac adesse solebant <sup>2)</sup>, obibant.

Sed fortasse iam diutius lectoris patientia abutor in monasteriorum Benedictinorum conditione et institutis describendis. Hactenus igitur de iis omnibus, quae, ut iterum moneam, etiam in Werthinensem abbatiam conveniunt, atque ideo hoc loco exposita sunt. Cuius abbatiae fata, quum cum Ludgeri nostri vita non cohaereant, peculiari disquisitione instituta, enarrare hinc non opus esse puto <sup>3)</sup>. Sed supervacaneum absque ullo dubio nemini visum iri pro certo scio, si, quae fuerint Ludgeri merita in hoc monasterio condendo, breviter recensuero. Nam primum, ut omnia eius temporis monasteria, sic etiam Werthina ad disciplinas, ad sapientiam huius aevi conservandam, promovendam inserviit. Erat et thesaurus et seminarium dignum necessariumque humanitatis. Neque hanc humanitatem intra parietes abscondiderunt monachi. Imo radios nonnullos sol eruditionis et expolitionis emisit in populum, in iuvenes Saxones, rudes antea et humanitatis beneficiorum expertes. Hi scholam frequenta-

<sup>1)</sup> o. l. Lib. III, cap. 5.

<sup>2)</sup> Cf. Behrends: o. l. p. 70.

<sup>3)</sup> Behrends, quum o. l. historiam tractat monasterii Helmstadiensis, simul breviter exponit fata praecipua abbatum Werthinensium. Hunc igitur adeant, qui horum abbatum seriem et nomina cognoscere velint.

bant, hos patres monachis artes et disciplinas docendos mandabant; atque ita in Westphalia quoque tenebrae Medii Aevi per monasterium, quod Ludgerus condiderat, sunt illustratae, incolae huius regionis ad veram humanitatem revocati. Postremo, neque hoc praetermittendum, nescimus quidem, quatenus fideles fuerint monachi Werthinenses consilio pio ordinis sui conditoris, monasterii sui fundatoris piis desideriis: sed tamen monachis exempla praestanda erant vitae melioris, sanctioris. Iam vero, ut omnibus populis nuper ad fidem christianam conversis, sic etiam Saxonibus adhuc mores erant prisca, prisca etiam vitia, quae erant abolenda radicitusque extirpanda; et a quibus hoc melius fieri potuit, quam ab iis viris, qui totam vitam Christo et virtuti devovissent? Postea videmus, quid, quo huic rei occurreret, Ludgerus conatus sit, vitam Gregorii abbatis conscribendo, quod eo potissimum consilio fecit, ut ipse in discipulos, hi vicissim in populares vim excrerent salutarem. — Quae omnia si computamus, abbatiam Werthinensem hand minimum fuisse eorum, quae salutaria et utilia Saxonibus attulerit Ludgerus, facile fatebimur.

Nec tamen nimium Ludgero tribuamus, meritave eius maiora fuisse fingamus, quam revera fuerint. Moneo autem hoc de industria, et ne quis Ludgeri laudatorem inanem me habeat, et quoniam aliquid viro pio et industrio etiam abnegare debeo. Hoc autem quid est? Ut paucis dicam: dissentiunt inter se viri docti; alii Helmstadiæ, quod est oppidum Brunsviciæ, apostolum nostrum euangelium annuntiasse, ac monasterium, quod eius gerit nomen, condidisse aientes, alii negantes. De qua re iam pugna literaria gesta est Behrends inter et Rettberg<sup>1)</sup>); quorum ille Ludgeri labores, quos in

---

<sup>1)</sup> Sic saltem nobis innotuit e Rettbergii o. l. II, § 71, annot. 1. Opus quod scripserat Behrends: *der h. Ludgerus*, ab illo iudicatum est, et ponderata sunt argumenta eius. Contra quae scripsit Behrends in diario: *Braunsch. Magazin*, 1847, praecipue provocans ad traditionem vulgarem. Rettberg postea in opere: *Kirchengesch. Deutschl.* ca, quae exposuerat, descripsit.

regione Helmstadiæ circumiacente suscepisset, in coelum extulit; hic vero, accurata disquisitione instituta, omnia ea Ludgero abneganda esse perhibuit; et meritissimo <sup>1)</sup>. Atqui ne quid desiderari videatur, utriusque viri argumenta in medium proferamus, et incipiamus quidem a Behrends.

Itaque si hunc audiamus, Carolus Magnus inde ab anno 775 usque ad annum 780 in eas regiones penetravit, in quibus hodie Helmstadia sita est, coepitque iam anno 781 parare ea, quibus opus esset, ut Saxones Ostphali episcopos suos haberent institutionibusque ecclesiasticis fruerentur. Eorum vero molitiones et rebellia, quibus continue regis consiliis obstarent, hunc impedivisse idem putat, quominus episcopatum iam institueret, atque eo perduxisse, ut harum regionum regimen ecclesiasticum mandaret ei, cui diocesis Mimigernefordensis vicina esset commissa, i. e. Ludgero nostro. Hunc igitur, anno 798, quum Carolus Magnus in eas regiones cum exercitu proficisceretur, regem esse comitatum, euangelium Ostphalis annuntiasse, baptizasse conversos in fonte quodam, qui adhuc Ludgeri nomine ornetur, oratorium denique aedificasse eodem loco, quo antea crucem erexisset, ibique presbyteros collocasse <sup>2)</sup>.

Argumenta, quibus Behrends sententiam suam probare conatur, infirmissima sunt. *Primum* enim traditionem testem citat, datam die 17 (imo 19 legendum) Julii m. anni 798, in qua Ludgerus dicitur emergere vincam „in villa Bacheim” <sup>3)</sup>. Sub finem autem huius traditionis haec legimus: „Acta est publice in Saxonia, ubi tunc temporis fuimus in hoste, in loco, qui nuncupatur Mimthum (Minden).” Quod sine dubio probat, fuisse Ludgerum in Minden, loco ad Visurgim sito; sed satis longo intervallo locus hic ab Helmstadiæ distat. *Deinde* describit, quae in annalibus monasteriorum

1) Sic etiam Bollandiani: *comment. praev.* § VI, qui, etsi fluxe eam rem tractant, idem tamen censent quod Rettberg.

2) Behrends: o. l. cap. 22—24.

3) Vid. Lacombet: o. l. I, n<sup>o</sup>. 10.

Werthinensis et Helmstadiensis scripsit Gregorius quidam Overham, praepositus: „Hoc itaque anno et tempore (798)... primum adiiisse Ludgerum Saxoniam trans Wisurgim verisimillimum est.” Sed hic „verisimillimum” modo dicit, nec tamen certum esse affirmat, quod in nostra re, si argumentum aliquid valebit, demonstrandum erit.

Anno 802 iterum Ludgerus (sic saltem narrat Behrends), Hildigrimo fratre eius comite, Helmstadium adiit. Ambo in regionibus iis euangelio promovendo operam dederunt, sed dum Hildigrimus iamque hîc, iamque illic incolas convertit, Ludgerus in Helmstadiæ vicinio est moratus, agrosque emit, in quibus monasterium aedificaret. Monasterium id conditum est anno eodem, monachosque habuit primos e Ludgeri discipulis; iuxta monasterium etiam ecclesia est aedificata in honorem Felicitatis, martyris ingenuæ. Ceterum abbatia Helmstadiensis vinculis arctissimis cum Werthinensi erat coniuncta; ambobus, Benedicti institutis obedientibus, unus tantum erat abbas, atque unum ambo efficiebant conventum.

Argumenta huius narrationis Behrends<sup>1)</sup> paucissima et levissima praestat. Documentum, quod est de monasterii exstructione, iniuria temporis periit. Traditionem quamdam Caroli Magni non esse genuinam, ipse concedit; sed Thietmari testimonium, in *Chronico* suo Ludgerum conditorem monasterii Helmstadiensis dicentis, manifeste rem demonstrare putat, quæ confirmetur etiam tabula marmorea, inventa in fundamentis abbatiae, in quo annus 802 exstructionis annus dicatur.

His paucis igitur construitur narratio de Ludgeri ad Helmstadium praedicatione, et ob pauca ea, Ludgerum monasterii conditorem Behrends habet. At pauca ea satis gravia dixerit quispiam, et videntur sane ita esse. Quæ vero Rettberg de ea re monuit, ea sunt, ut omnia refellantur. Atqui quum haud facile ei fuerit opus — Thietmarus

<sup>1)</sup> o. l. p. 65.

enim in universum scriptor est fide dignissimus, quem haud facillime erroris arguimus, — et Rettbergium disquirentem et exponentem sequamur, eiusque argumenta paucis comprehendamus. Meminerimus etiam, quaestionem de Ludgeri praedicatione et monasterii exstrukione in finibus Helmstadiæ, e mente Rettbergii, arcte cohæcrescere cum quaestione alia, nimirum utrum Hildigrimus, Ludgeri frater, primus fuerit episcopus Halberstadiensis, necne. Postquam igitur vir doctus hanc opinionem multis refellit <sup>1)</sup>, ad quaestionem nostram accedit, quæ arctius fortasse, quam quis putat, cum priore quaestione coniungi debet, quum etiam Hildigrimi partes in praedicatione ad Helmstadiam satis magnæ fuisse perhibeantur.

Incipit Rettberg enumerandis iis, quæ in regionibus, Helmstadiæ circumiacentibus, diligentiae et industriae Ludgeri tribuuntur <sup>2)</sup>. Quæ iam e Behrendsi libro cognovimus. Iam vero argumenta quæcrit Rettberg, quibus hæc narrationes niti debent. Documenta, ad Helmstadiam spectantia, antiquissima sæculi sunt duodecimi; nam diploma quoddam, datum anno 802 Seligenstadiæ a Carolo Magno, suppositivum esse neque ulla fide dignum, vix disputatione egere videtur. Carolus in eo villam quandam prope Carlstorf Helmstadiæ donans fingitur, sed nomine vocatur adhuc regis; præterea verbum de verbo respondet diplomati cuidam, dato ab Ottone I anno 952, cuius genuitati haud minus suspicatur, quum ex eadem manu profectum esse videatur. Nec maiorem vim habet ad persuadendum annotatio quædam, quæ in Chronico Corbeiensi invenitur ad annum 827, dequæ Ludgeri praedicatione ad Helmstadiam mentionem facit; neque etiam tabula illa marmorea <sup>3)</sup>, quæ monasterium conditum esse anno 802 commemorat, plurimum valet ad rei verita-

<sup>1)</sup> Rettberg; o. I. II, § 70.

<sup>2)</sup> Ibid. p. 479, 480.

<sup>3)</sup> Ad hanc tabulam marmoream Behrends, ut vidimus, provocavit, omnia, quæ exponit, e Bucelini *Chronico Werthünensi* depromens. At, si Rettbergium disputantem audiamus, nemo unquam hanc tabulam vidit. Præterea annus 802 suspicionem commovet communionis alicuius cum diplomate illo falso.

tem vindicandam. Nam apud Thietmarum <sup>1)</sup> Merseburgensem primum de Helmstadia sermo est, idque eodem loco, quo Hildigrimus primus episcopus Halberstadiensis fuisse dicitur. Nec vero ad annum 802 Helmstadiac mentionem facit Thietmarus; sed occasione data, quum loquitur de visione aliqua monachi cuiusdam fugitivi, narrationi, quae habet de monasterio Helmstadiensi, postea demum inserit. Sine dubio locus genuinus habendus, atque Thietmarus scriptor existimandus est, qui, quum fuerit praepositus in monasterio Walbeckensi, historiae Helmstadiensi testis est fide dignissimus. Post eum igitur mortuum, narrationem eam vulgarem esse factam quum praesertim arctissima esset coniunctio Werthinae atque Helmstadiac, non est quod miremur. Atqui adsunt nonnulla, quae hoc argumentum infirmant, quin enervant etiam atque effringunt.

Haec autem quaenam sant? Primum monendum, tres priores Ludgeri biographos, etsi vixerunt saeculo nono, ne verbo quidem apostoli nostri operam et labores inter Ostphalos commemorare. Hoc vero, si res ita sese habuisset, iure exspectaremus, quum quovis Ludgerum in itinere eius apostolico quasi comitentur. Operam eius et industriam large patuisse, persuadere lectoribus conantur; atqui de eius inter Ostphalos praedicatione ne sermo quidem est apud eosdem. De Werthinae aedificatione accurate, rebus vel minimis silentio haud praetermissis, exponit *Vita secunda*; quum igitur nihil dixit de Helmstadia? Ne Altfridus quidem, qui cognatus Ludgeri atque huius cognatorum clericorumque familiaris, de unaquaque re optime inquirere posset? *Vita rhythmica* prima est, quae memoriae tradit <sup>2)</sup>:

Fundavit insuper tria loca pariter,  
 Numero locorum, quo et populorum,  
 Werthinam, Helmenstad monachis fundaverat  
 De proprietate vel hereditate,  
 Et episcopium, dictum Monasterium, ect.

<sup>1)</sup> Thietmar: *Chron.* IV, 45; apud Periz: o. l. V, p. 787.

<sup>2)</sup> Vid. Periz: o. l. II, p. 424.

At *vita* haec saeculo demum duodecimo, quum Thictmari *Chronicon* iam in omnium manibus esset, conscripta est. Ludgerum igitur monasterii Helmstadiensis fuisse conditorem, haud verisimillimum est, quin prorsus negari debere videtur. Sin vero quis, licet etiam hac de re sileant biographi, statuere mavult, nonnullos monachos Werthinenses, Ludgero adhuc vivo, in Helmstadiæ finibus consedissee atque monasterii futuri fundamentum iecisse, nihil habeo, quod contra dicam. Atqui iterum moneo, Ludgeri inter Ostphalos praedicationem maioris esse momenti, quam quae a biographis illis silentio praeteriri potuerit. Origo monasterii Helmstadiensis facile explicari posse videtur, si, semper necessitudinem quamdam et coniunctionem aetam eius inter et Werthinæ monachos exstitisse, observaverimus. Monasterium hoc Werthinensis abbatiae quasi filiam fuisse, verisimillimum est. Nomen autem Ludgeri, quo postea insignitum est, in eum errorem duxit scriptores, ut monasterium ab ipso Ludgero conditum esse putarent. Quid? quod ipsum nomen illud probare videtur, Ludgeri in nomine dando saltem nullas fuisse partes; quum modestior esset vir pius, quam qui ita sibi ipse aeternitatem donaret.

Statuamus igitur saeculo nono monasterium nondum fuisse conditum; nam, si tunc iam esset conditum, mentio eius fieret sine dubio a tribus prioribus Ludgeri vitae scriptoribus, quum Helmstadiensis abbatia, quamvis non esset fundata ab apostolo, tamen haud pauca afferret ad huius laudes. Neque etiam saeculo nono vestigium ullum reperimus communionis eius, quae postea fuit Werthinam inter et Helmstadium, ac de qua documenta Werthinensia plus semel postea, sed nunquam saeculo nono mentionem faciunt. Accedit, quod privilegium, datum Werthinæ anno 877 solum hanc abbatiam commemorat, nec Helmstadiensem illam. Contra monasterium iam initio fere saeculi decimi conditum fuisse, statuamus necesse videtur, quum bona multa, quae et anno 1160 fuerint, satis demonstrent, longum iam temporis spatium effluxisse, ex quo aedificatum fuerit.



Restat igitur quaestio, unde tandem Thietmarus hanc narrationem hauserit. Ac iterum monemus, in fontibus vetustioribus nihil inveniri aut de Ludgero, populo Helmstadiensi operam dante, aut de Hildigrimo, Ludgeri fratre, primo Halberstadiensi episcopo. Quare tota narratio mera traditio fuisse videtur, quam populus Saxonicus eam ob causam finxerit, ut ecclesiae suae originem viris illustribus tribueret, iisque, qui Carolo Magno familiariter essent usi. Ad quam traditionem explicandam citari licet Hildigrimus II, episcopus Halberstadiensis inde ab anno 853 usque ad annum 886, qui sobrinus quum esset Ludgeri atque Hildigrimi, coniunctionem aliquam inter Werthinam et Helmstadium conciliasse videtur. Fuit hic et episcopus Halberstadiensis et curator abbatis Werthinensis, in cuius gratiam anno 877 a Ludovico III privilegium supradictum impetravit. Inde haud difficulter intelligimus, coloniam aliquam e Werthina in episcopatum Hildigrimi esse deductam, quae colonia, de Ludgeri nomine vocata, traditionis illius causa fuerit. Sic etiam Hildigrimus, Ludgeri frater, quem e fontibus antiquissimis non nisi episcopum Cadalonensem (Chalons) cognoscimus <sup>1)</sup>, cum consobrino est commutatus et traditione eadem primus Halberstadiensis factus episcopus.

Hactenus Rettbergii disputatio. Cuius quum argumenta aequae ac ea, quae Behrends in medium protulit, iam nobis innotuerunt, pedibus in illius sententiam ire non dubito. Solida et *επιχειρήματα* Rettbergii argumentatio, cui opponitur critices artis defectus et anxietas ea, qua Behrends traditioni aliquid detrectare reformidat, persuaderi nobis etiam potest, Ludgeri in Helmstadiac finibus operam et labores non posse demonstrari. His omnibus etiam hoc addere licet, Ludgeri dioccesin, cuius a Carolo Magno institutus fuit apostolus et episcopus, iam satis fuisse magnam, quam cui putemus imperatorem regionem, multo maiorem, addidisse, idque eo tempore, quum nondum perfecta esset Saxonum conversio,

<sup>1)</sup> Alfridus : o. I. Lib. II, c. 8.

quam Ludgeri occupationes essent innumerae ac difficillimae.

Longi fuimus in inquirendo de Ludgero, an revera monasterii Helmstadiensis conditor sit habendus. Nec tamen nimis longum me fuisse puto; res enim gravissima esset ac summi momenti, si vera esse probaretur. Haudquaquam vero tantam operam collocandam esse opinor in alio argumento, quo inquiritur, monachusne sit dicendus Ludgerus, annon. Tractarunt iam quaestionem hanc et multi alii, et Browerus <sup>1)</sup> et Bollandiani <sup>2)</sup>. Quorum vestigia sequi, nobis non libet, ac etiam supervacaneum esse videtur, quum, nostro saltem iudicio, locus, quem in Alfridi libro invenimus, quemque viros doctos illos fugisse admodum miror, nihil amplius dubii hac in re relinquat. Scribit enim Alfridus <sup>3)</sup>: „cucullam, eo quod promissionem observationis monachorum non fecerat, portare desivit.” Ludgerus ergo vota monastica numquam in se suscepit; verba autem Alfridi: „portare desivit cucullam,” i. e. vestimentum monachorum, docent apostolum hac veste fuisse indutum, dum versaretur in scholis monasticis Gregorii et Alcuini; quam postea, quum munere ecclesiastico ornaretur, deposuit. Convenit cum his testimonium *vitae secundae* <sup>4)</sup>: „[Ludgerus] vestitus optimis ac suae personae congruis vestibus incedebat.” Ludgerum igitur nunquam fuisse monachum, facile constat, et tam perspicua ipsa res est, ut mirum videatur, tantam operam in ea inquirenda et explicanda a Browero aliisque esse consumptam.

Hic autem parti nostrae secundae finem imponimus, quoniam nunc Ludgerus nobis est spectandus, alio munere fungens atque honorificentiore dignitate fruens. Saxonibus

1) *Sidera* cet. p. 80.

2) *Comment. praev.* § IX, p. 640 seqq.

3) o. l. Lib. II, cap. 6.

4) Lib. I, cap. 32.

tamen, in dioecesi sua habitantibus, idem tribuere continuavit, et haud leviore cura, haud minore industria et labore excolendis, euangelizandis iis operam dedit. Quocirca pars sequens non nisi continuatio est habenda, quum non nisi nomen seiunctionem postulet. Itaque ea sola nobis videnda erunt, quae Ludgerus per tempus inde ab episcopatu usque ad mortem praestiterit; quamquam, ut par est, non multa narratis addere valemus, quum eius laboris genus et ambitus idem manerent, quamvis dignitate auctus esset Ludgerus.

## PARS TERTIA.

### LUDGERUS EPISCOPUS.

#### § 1.

LUDGERUS EPISCOPUS ORDINATUR. — MIMIGERNEFORD  
(MONASTERIUM) SEDES EIUS EPISCOPALIS.

„ Oportet episcopum irreprehensibilem esse” cum apostolo <sup>1)</sup> respondit Ludgerus Hildibaldo, episcopo Coloniensi, quum hic illi persuadere conaretur, ne ordinationem episcopalem recusaret; et ingemiscens episcopus, verba illa apostolica in ipsum minime convenire confessus est <sup>2)</sup>. Eiusmodi autem recusationis in vitis sanctorum non raro mentio fit, quorum biographi modestiam, hac in re praestitam, laudare solent. Etiam Altfriidus <sup>3)</sup> nobis est auctor, semper cupiisse Ludgerum, fore ut numquam dignitas episcopalis sibi offerretur, saepiusque a discipulis eundem impetrare conatum esse, ut suo loco ordinationem honorificam acciperent. Deinde narrat aliquid *vita secunda*, accuratiore omnino disquisitione dignum. Mortuo enim Bernhardo abbate, qui a Carolo Magno Westphaliae praepositus fuerat, defuit qui gentilibus euangelium annuntiarct. Sedem vero episcopalem Trevirensis, quum eodem tempore vacaret, Carolus rex Ludgero obtulit. Nec tamen hic regis voluntati satisfecit, has quidem causas afferens: „ talem ecclesiam se episcopo minime indigere, in qua per plures essent se doctiores et eo digniores honore. Quin potius posse ipsum rudibus quibuslibet melius praefici; et, si regi placeret, in Saxonum populo, voluntarium se subiturum

1) I Tim. III: 2.

2) Altfriidus: o. l. Lib. I, c. 20.

3) Ibid.

laborem. Haec eius responsione et voluntate Imperator plurimum gratulatus (sic enim pergit Ludgeri vitae scriptor), in occidentali Saxonum parte pastorem eum constituit”<sup>1)</sup>. Quam narrationem his verbis refutare conatur Mabillon<sup>2)</sup>: „toto Liudgeri tempore his vacavit Trevirensis sedes, primo quidem anno eius saeculi septuagesimo sexto (776), post obitum scilicet Weomadi, cui Rigbodus successus: dein, Rigbodo ipso mortuo, anno octingentesimo quarto (804). Atqui in prima occasione necdum habilis erat huic legationi Ludgerus, qui in secunda in illis (Saxoniae) partibus iam creatus episcopus erat.” Haec autem verba non conveniunt cum iis, quae Rettberg<sup>3)</sup> nobiscum communicat. Scribit enim, vero non esse consentaneum, si, ut antea statuere solebant critici, Weomodum episcopum anno 776 mortuum esse dicimus, quum idem anno 780 in actione quadam, contra Lullum instituta, partes suas egerit, et praeterea Annales S. Maximini, scripti ab Alexandro Wiltemio circa annum 1650 (qui ex antiquioribus fontibus hausit), sed nondum editi, mortuum esse tradant Wiomodum quemdam, episcopum, Caroli Magni adversus Avaros, anno 791, expeditionis aetate; qui Wiomodus, ex Rettbergii sententia, idem est ac episcopus Trevirensis. Quae si vera sunt, non est, circa, quae ab auctore anonymo Ludgeri vitae sunt narrata, negemus, quum praesertim annus hic 791 conveniat cum tempore, quo Ludgerum ad Saxones missum esse vidimus.

Quod quaecumque est, diu perseveravit Ludgerus in munere episcopalis detrectatione, donec tandem amicorum discipulorumque plurimorum precibus cessit. Quod his verbis enarrat Altfriidus<sup>4)</sup>: „tandem consensu omnium superatus, et magis Dei dispositione coactus, acquievit, ne plurimorum consilio, immo Dei voluntati contrarius esse videretur.” Haec autem verba, licet primo obtutu parvi admodum videantur

1) *Vita* II, Lib. I, cap. 17.

2) Mabillon: *Annales*, Lib. 26, cap. 53. — Tom. II, p. 301.

3) o. l. II, § 82, p. 471.

4) o. l. Lib. I, cap. 29.

momenti, omnino digna sunt, quae accuratius perpendamus, siquidem, Ludgerum anno 802 concilio Aquisgranensi interfuisse, ex iis patere atque pro certo effici posse iure suo Krabbe <sup>1)</sup> iudicavit. Cuius viri sententia vocibus solis „omnium” et „plurimorum” nititur. Alfridum hanc rem silentio praeteriisse, non est quod miremur, quum non soleat omnia, ad Ludgeri vitam non nisi indirecte pertinentia, in enarrando memoriae tradere. Quod attinet ad me, neque hoc pro certo affirmare, aut etiam prorsus negare ausim, quandoquidem vix fieri posse opinor, ut tempus, quo Ludgerus episcopus factus sit, accurate indicetur. E traditionibus quaedam, anno 802 conscriptae <sup>2)</sup>, Ludgerum abbatem vocant; quae sequitur, data anno 805 <sup>3)</sup>, eundem episcopum dicit. Spatii autem, quod intercedit inter annos commemoratos, non exstant nobis documenta, iusta auctoritate munita; nam donationem illam Caroli Magni, iam supra <sup>4)</sup> laudatam, spuriam esse Bollandiani <sup>5)</sup> cum aliis viris doctis ostenderunt; quo magis mirandum est, ab iisdem eodem loco Ludgeri episcopatus initium ad annum 802, aut saltem ad finem anni 801 referri. His igitur omnibus perpensis, Ludgerum episcopum ordinatum fuisse censemus intra annos 802 et 805, accuratius tempus definiri posse, deficientibus iudiciis certis, prorsus negantes.

Dioccesin ergo Ludgeri, quamquam, quod ad Westphalam attinet, eadem mansit, auxit tamen Carolus imperator, additis quinque illis Frisiis pagis <sup>6)</sup>, in quibus antea evangelium annuntiaverat Ludgerus. Quarum duarum diocesium coniunctio facile explicari posse videtur eo ipso, quod ambarum Ludgerus fuerat apostolus. Ita enim aptius tollitur difficul-

<sup>1)</sup> *Geschichtliche Nachrichten* cet. p. 46.

<sup>2)</sup> Vid. Lacombet: o. l. I, n<sup>o</sup>. 23, 24, 25.

<sup>3)</sup> Vid. Lacombet: o. l. I, n<sup>o</sup>. 27.

<sup>4)</sup> Cf. supra p. 105. — Vid. Lacombet: o. l. I, n<sup>o</sup>. 26.

<sup>5)</sup> *Comment. praev.* § V, p. 635.

<sup>6)</sup> Alfridus: o. l. Lib. I, cap. 21.

tas, si saltem difficultas haec vocanda sit, quam qua conjectura Tadama <sup>1)</sup> nodum expedire conatus est. — Explicatu difficilius est, cur ea Westphaliae pars, quae ad ripam meridionalem Lippiae fluvii pateret, ad episcopatum Coloniensem relata sit, nisi forte huius rei causa in antiquiore regionis divisione quaerenda sit. In hac enim regione antea Bructeri sedes habuerant, donec a Saxonibus, qui Lippiam traicerant omnesque agros suos reddiderant, erant expulsi. Acciderunt autem haec, quum Suibertus apostolus in Bructeris degeret, ac fortasse etiam alii, quos episcopus Colonien- sis misisset, populo huic euangelium annuntiarent. Hanc ob causam verisimile est, Carolum Magnum, quum Saxoniac dioeceses constitueret, magis spectasse ea, quae antea fuerant, quam Saxoniae partem Franco episcopatu addere reformidasse. Monasteriensis igitur dioecesis, diversa a quinque illis Frisiis regionibus, his terminis circumscripta erat: ad meridiem Lippia fluvio et Westphaliae regionibus, ad dioecesi Coloniensem pertinentibus, ad occidentem episcopi Traiectensis, ad orientem Paderbornensis, ad septentrionem Osnabrückensis dioecesis <sup>2)</sup>. Hanc autem dioecesi Westphalicam Altfridus <sup>3)</sup> uno nomine indicat; nam Sudergo, i. e. tractum s. pagum meridionalem eam vocat, ita dictum, secundum Rettbergium <sup>4)</sup>, ut a Frisia dioecesis parte distingueretur, ex Erhardi <sup>5)</sup> vero sententia, opposita regione septentrionali, ad Amisiam flumen sita, quae pertineret ad dioecesi Osnabrückensem. Sudergo ille utrum Ludgeri aetate una fuerit ampla regio, postea in minores partes divisa, an inde ab initio e pluribus constiterit partibus, hac de re inquirere

<sup>1)</sup> Scribit enim Tadama (*Gesch. von Zutphen*, p. 32): „Welligt moest die vergunning (n. l. dat de vijf Friesche gouwen bij het bisdom Munster bleven) ook als eene schadeloosstelling strekken voor het verlies der IJsselstreken, die, gedeeltelijk door Ludgers eigen bemoeijingen, van Utrecht uit, tot het christendom bekeerd, bij dat bisdom bleven.”

<sup>2)</sup> Cf. Rettberg: o. l. II, § 62, p. 425.      <sup>3)</sup> o. l. Lib. I, cap. 20.

<sup>4)</sup> o. l. II, § 62, p. 425.      <sup>5)</sup> o. l. p. 35.

nec huius loci est, nec multum nostra refert <sup>1)</sup>). Maioris momenti est videre, quid de Ludgeri sede episcopali statuendum sit.

Sedes ea ab Alfrido <sup>2)</sup> Mimigerneford, ab aliis saepius Mimigardeford nuncupatur, quamobrem Erhardio <sup>3)</sup> videtur nomen antiquius Mimigardenevord fuisse, e quo, mediis syllabis contractis, duas diversas nominis formas esse ortas. Quidquid hac de re habendum est, plane incertum est, quid Mimigerneford ille locus fuerit. De urbe quadam minime cogitandum est, quum Saxonibus, iis saltem temporibus, nondum urbes essent; neque etiam ii, qui Mimigerneford villam seu praedium (hova, hof) fuisse putent <sup>4)</sup>, sententiam suam argumentis satis idoneis defendunt. Tutissimum nobis videtur, cum Rettbergio <sup>5)</sup> et Erhardio <sup>6)</sup> nominis originem hoc modo explicare. Mimi enim sive Mîmi verisimiliter nomen est Dei cuiusdam, qui, idem ac Romanorum Vulcanus, ob opera sua artificiosa in Germanorum mythologia laudibus celebratur <sup>7)</sup>. Vocis altera pars: „garde” locum septum indicat, ubi Saxonum proceres conventus suos agebant; quum ultima syllaba „ford” sive „vord” (vernacule: voorde) vadum significat, quod adhuc est in Aa fluvio et etiam tum adfuisse necesse est, quum Saxones, qui a sinistra fluminis ripa in conventum se conferrent, flumen nonnisi per vadum aliquod traicere possent. Erat igitur Mimigerneford sive Mimigardevord unus ex iis locis, quo Saxones gentiles congregari solebant. Talis autem locus prae aliis idoneus erat ad ecclesiam aedificandam, quandoquidem populus iam ab antiquissimis temporibus eo convenire solebat. Prae-

1) Cf. Erhard: o. l. p. 36.

2) o. l. Lib. I, cap. 20.

3) o. l. p. 31, annot. 4.

4) Sic A. Wilkens: *Gesch. der Stadt Münster, Hamm und Münster*, 1823, p. 23 seqq. Sed vir doctus, qui in rebus enarrandis potissimum ad antiqua documenta provocat, hac in re mentionem quidem facit praedii Mimigavordae (Mimigavorde-hof), sed nihil probat.

5) o. l. II, p. 428.

6) o. l. p. 31.

7) Cf. J. Grimm: *Deutsche Mythologie*, I. p. 352.



terea eiusmodi locus a gentilibus sacer et in deorum tutela esse habebatur, ut satis perspicue nostri loci nomen, de Mimi dco dictum, indicat. Eam ob causam Ludgerus verisimiliter Mimigernefordiam elegit sedem suam episcopalem; sic enim locum, qui Saxonibus iam sacer esset, novae religionis cultus sedem fecit, et simul, ecclesiam seu potius ecclesias ibidem condendo, paganismi superstitionis vestigia evertere conatus est.

Ibi igitur Ludgerus aedificavit „honestum monasterium sub regula canonica Domino famulantium”<sup>1)</sup>. Quod monasterium non a monachis habitabatur, sed clericorum potius domus erat, qui inde ab eo tempore, quo Chrodegangi Metensis regula in synodis Aquisgranensibus annorum 789 et 798 totius Ecclesiae Occidentalis norma esset constituta, eandem vitam communem debebant, quam iam antea egisse clericos Ultraiectinos supra memoravimus. Huic autem monasterio ecclesiam a Ludgero additam esse eodem loco, ubi postea magna ecclesia Monasteriensis est fundata, et ipsa res docet, et perspicuum redditur diplomate anni 820, in quo sermo est de ecclesia, Paulo apostolo consecrata<sup>2)</sup>. Quum vero Altfriidus eius S. Pauli ecclesiae nusquam mentionem faciat, sed aliam ecclesiam commemoret<sup>3)</sup>, in honorem S. Mariae aedificatam, putare quis poterit, hanc unicam fuisse ecclesiam, a Ludgero Mimigernefordiae fundatam. Melius autem de duabus ecclesiis, in Mimigerneford loco conditis, cogitandum nobis videtur, quarum altera, S. Paulo consecrata, aequae ac monasterium, supra memoratum, ad dextram fluminis ripam, altera vero ad sinistram sita fuerit. Verisimiliter hanc secundam ecclesiam Ludgerus aedificavit in eorum commodum, qui in sinistro fluminis ripa habitarent, ne cogerentur flumen transire. Quam ob causam „ecclesia

1) Altfriidus: o. l. Lib. I, cap. 20.

2) Rettberg: o. l. II, p. 431.

3) o. l. Lib. II, cap. 8.

Mariae trans aquas" nuncupata est, quae postea "parochia Trans aquas" (Ueberwasser) est facta.

Haec igitur origo fuit urbis Monasteriensis <sup>1)</sup>, cuius fundamenta iecit Ludgerus, tribus illis aedificiis, monasterio et ecclesiis duabus, condendis. Mox loci ambitus auctus est et ampliatus, quum alii quoque Saxones eodem loco sedes traduxissent. Sic Ludgerus noster conditor exstitit urbis illius, quae haud semel in Europae historia innotuit et inclaruit. Nos vero, his narratis, Mimigernefordiam sedem episcopalem missam facimus, ut paullo accuratius de Ludgero, episcopali munere fungente, inquiramus videamusque, quid per breve illud tempus, quo dioecesin suam gubernaverit, in Saxonum salutem et commodum fecerit apostolus noster.

§ 2.

LUDGERUS EPISCOPALI MUNERE FUNGENS. —  
EIVS SCHOLA.

Sive Ludgerus anno 802, sive anno demum 805 episcopus sit ordinatus, hoc pro certo statuere nobis licet, viri industrii conatibus multa iam fuisse mutata, multa meliora facta in Westphalorum terris, ab eo inde tempore, quo ad illos a Carolo Magno missus esset apostolus. Tam enim fides christiana a Westphalis erat accepta, iam nomine saltem Christi sectatores se plerique erant professi, mox toto corde et animo Christum in se suscepturi, prisca vitia cum priscis ceremoniis unâ abiuraturi, ut fides christiana revera religio iis fieret. Quod consilium pulchrum atque egregium ut perficeret, Ludgerus, episcopus factus, ecclesiae suae continue

<sup>1)</sup> Monasterii nomine hic et in iis, quae sequuntur, utendo, proprie anachronismi crimine tenemur, quum in nostris fontibus non nisi de „Mimigerneford loco" mentio fiat. Saeculo exeunte undecimo, Monasterium nomen magis universum est factum. Cf. Rettberg: *o. l. II*, p. 429. — Welter: *o. l. p. 41*.

operam daret necesse erat. Quocirca subinde in dioecesi sua itinera suscepit, laïcorum vitae degendae rationem inquisivit, monuitque prohibuitque, ne quid inhonesti malive committerent<sup>1)</sup>. Sic aliquando Billurbike vico appropinquavit episcopus, atque appropinquavit quidem iudex severus, vindex maleficii et morum pravorum: nam sciebat nobilem feminam ibi habitare, quae connubio illicito cum marito esset coniuncta. Audivit autem femina ea, episcopum venturum esse, et metus eam cepit: nam viri egregii pietas ei erat cognita; ideo eum sibi conciliare et placare conata est, vasque dono misit, mellis impletum, „quasi pro benedictione.“ Sed fefellit eam spes: Ludgerus enim iustior erat, quam qui dono aliquo moveretur, ne, quae recta et iusta sibi viderentur, faceret. Recusavit donum, matrimonium solvit, maritumque e terrae finibus emisit<sup>2)</sup>. Tanta severitas necessaria erat in regione, cuius incolae nuperrime ad fidem christianam essent conversi; his enim, donec fidem eam nondum ita assumssissent, ut ipsi volentes vitam viverent piam et puram, Ecclesiae eiusque ministorum erat, legis et auctoritatis instar esse, ac poenis et damno eos cogere, quos Christi amor nondum cogere valeret. Nec solum in laïcos suos Ludgerus, sed etiam in clericos eadem severitate usus est. Hi, ut obiter moneam, in itineribus episcopi semper eius comites erant, et nonnulli nomine nobis innotescunt: Thiatbaldus, Wilfricus, Gerusalem, Werinhardus, Trithuwardus, presbyteri; Cassus, Hildigrimus, Ludgeri frater, diaconi; clerici autem Alubertus, Hardgerus, Wilgerus, Guntbertus, Bocco, Gerfridus. Tempore igitur quodam ab iis de more comitatus, quum vesperasset, Ludgerus cubile suum proxime focum parari iussit. Noctem placide et quiete peregerunt omnes, quumque dies illuxisset, clerici e lectulis suis surrexerunt, ut, episcopo praecunte, laudes matutinas

<sup>1)</sup> Vid. Alfridus: o. l. Lib. II, c. 4, 5. — *Vita* II, Lib. I, cap. 24, 26, 28, 33.

<sup>2)</sup> Alfridus: o. l. Lib. II, cap. 4.

canerent, ut solebant ii, qui Benedictini essent ordinis. Ecce autem ignis, nondum inflammatus, fumum in Ludgeri faciem emisit; sed vir pius et industrius, minime hoc perturbatus, laudes canere perrexit, donec e clericis quidam chorum reliquit et, genua volvens, flammam sufflavit, quo fumum molestum amoveret. At neutiquam gratias ei egit episcopus; rem severe tractavit et poenitentiam aliquot dierum indixit clerico, qui, rerum sacrarum oblitus, sordidum et indignum factum cum officio sancto ita commutare esset ausus, qui divinum officium neglexisset, ut humanum opus faceret. Clerico autem hoc punito, magna cum vi ceteros admonuit Ludgerus, omnes cogitationes sordidas et terrestres iis esse fugiendas, qui divinum aliquod opus facerent; de nulla alia re iis esse cogitandum, quatenus saltem humani cordis infirmitas id pateretur <sup>1)</sup>.

Attamen non ubique Ludgero tanta severitate opus erat, neque semper omnibus indicem severum et tristem sese praestitit; minime itinera sua eo consilio suscepit, ut semper laicos puniret maleficos. Multo potius hoc erat praecipuum eius consilium, ut muneris sui officiis diligenter fungeretur. Inter officia autem ea, praedicatio haud minima muneris episcopalis pars erat <sup>2)</sup>. Iam antea Chrodegangus ille Metensis in regula sua constituerat, ut semel saltem diebus quatuordecim, aut, si fieri posset, singulis dominicis et diebus festis, praedicatio haberetur, lingua vernacula, populi captui accommodata. Nec hic solus ita voluit; Carolus enim Magnus quoque id officium conatus est, ut presbyteri plus quam antea praedicarent; cuius rei Pauli diaconi Homiliarium nobis certissimum est testimonium. Multa praeterea decreta, multa capitularia hac de re Francorum princeps divulgavit. Ex his capitulare anni 789 memoramus, in quo nonnulla inveniuntur, quae praedicationis argumenta indicent. Erat enim agendum presbyteris in sermonibus, si

<sup>1)</sup> *Vita* II, Lib. I, cap. 33.

<sup>2)</sup> Cf. Rettberg: o. l. II, § 119, p. 772 seqq.

essent dogmatici, de trinitate, de incarnatione; si ethici, de vitiis, de charitate, fide et spe, de virtutibus christianis, de peccatorum confessione, de eleemosynis, de amore inimicorum <sup>1)</sup>. Quod ad Ludgerum attinet, narrat nobis Altfrius, eum die etiam dominica, quae eius mortis nocti praecederet, bis praedicasse <sup>2)</sup>. Quod quum fecerit vir egregius, morbo laborans, corpore infirmo et debili, pro certo habere nobis licet, eum praedicationes minime neglexisse, quum bona adhuc fruere valetudine. *Vita secunda* saltem Ludgeri „publicas praedicationes” opponit institutioni privatae, quam discipulis suis dederit <sup>3)</sup>. Efficimus igitur ex his omnibus sedulo et diligenter etiam episcopum Ludgerum praedicationibus dedisse operam. Magnam igitur etiam hac in re eius laus et maior, quam primo obtutu fortasse videatur. Quum enim Ludgerus ipse saepe concionaretur, simul effecit, ut presbyteri, quos in diversis locis ordinasset et constituisset, haud minus facerent, quam episcopus suus. Et eo facilius hoc efficere potuit, quoniam eorum presbyterorum ipse fuerat magister, quoniam magistri summi exemplo ad officia sua diligenter perficienda excitabantur.

Presbyteros eos variis in locis constituit Ludgerus, ut Saxones conversos docerent, et sacra sacramenta administrarent. In locis autem istis mox etiam ecclesias esse aedificatas, ipsa res docet et variis testimoniis probatur. Iam memoravimus ecclesias nonnullas, a Ludgero in Westphalia exstructas, Werthinensem, in honorem S. Salvatoris, Mariae et Petri; duas in Mimigernesford loco, alteram in Mariae honorem, alteram Paulo apostolo consecratam; iam iis addimus ecclesias in Coasfelt, Billurbike <sup>4)</sup>, Hleri <sup>5)</sup> in Frisia. Hic quoque memoranda est ecclesia Nutlonensis (Notteln), quam Ludgerus aedificasse dicitur. Quod, quam-

1) Pertz: o. I. III, p. 66, 67.

2) Altfrius: o. I. Lib. II, cap. 7.

3) *Vita* II, Lib. I, cap. 32.

4) Altfrius: o. I. Lib. II, cap. 7.

5) *Ibid.* cap. 5.

vis veri haud dissimile sit, certis tamen argumentis minime est probatum, quum documenta, quae eius rei mentionem faciunt, aut nondum satis sint explorata, aut spuria magnam partem sint habenda. Qui hac in re Ludgeri industriam laudant, ii praecipue provocant ad documentum <sup>1)</sup> quoddam anni 834, in quo Gerfridus, episcopus Monasteriensis, agros aliquot tradit monasterio Nutlonensi. Traditio ea docet, Ludgerum in Nutlo loco non solum ecclesiam aedificasse, sed etiam virginum monasterium, cuius prima abbatissa fuerit Heriburga, Ludgeri soror. Idem narrant, Nutlo situm fuisse in regno Roibarti, comitis cuiusdam Saxonici, quem, postquam cum popularibus suis Carolum Magnum ardentem oppugnasset, tandem Francorum amicum esse factum et fidei christianae fautorem sirenum et diligentem <sup>2)</sup>. Eundem in matrimonium duxisse Mechtildin, alteram Ludgeri sororem. Quodsi haec omnia vero consentanea essent, maximi esset momenti ad Ludgeri consanguineos cognoscendos, eiusque laborem describendum; sed, ut iam dixi, documentorum eorum genuitas non omni dubio maior est <sup>3)</sup>. Certis igitur testimoniis deficientibus, non inquirimus de monasterio Nutlonensi, eo minus, quoniam viri docti, qui Heriburgae vitam conscripsit, librum <sup>4)</sup> mihi comparare frustra sum conatus, ut argumenta eius ponderare non potuerim.

Potius ergo mentionem facimus alius Ludgeri institutionis, quae, quamvis de ea non tot ac tanta traditio finxerit, iure potiore illi est tribuenda, scholae dico Monasteriensis. Pauca tantum de ea nobis memoriae sunt tradita; nam e

---

1) Editum est ab A. Wilkens: *Gesch. der Stadt Münster*, p. 69 seqq. In opere suo: *Lebensgesch. der h. Gerburgis*, plura edidit documenta Nutlonensia. Nulla arte critica adhibita, Behrends et von Bornstedt his documentis sunt usi et, non nisi Wilkensis vestigia prementes, narrationes suas composuerunt.

2) Vid. Behrends: o. l. p. 45 seqq. — L. von Bornstedt: o. l. p. 152 seqq.

3) Cf. Rettberg: o. l. II, § 63, p. 432. — Erhard: o. l. p. 40, annot. 2.

4) A. Wilkens: *Lebensgeschichte der h. Gerburgis*.

fontibus hoc solum apparet, eam a Ludgero esse conditam; contra vero hac in re nobis suppetunt testimonia, quae de scholae eius institutione certiores nos faciant <sup>1)</sup>: regula nimirum Chrodegangi Metensis, synodorum decreta, Caroli Magni capitularia. Praeterea non praetermittendum est, Ludgerum ipsum scholas Ultraiectinam et Eboracensem frequentasse; ut facilis sit coniectura, scholas has celeberrimas apostolo nostro normam fuisse, ad quam scholam suam instituerit.

Initium igitur faciamus a Chrodegangi regula. Augustini enim, episcopi Hipponensis, regulam, quae dicitur, de communi clericorum vita, hic ampliatam cum Benedictini ordinis coniunxit ita, ut utramque coniunctam clericis suis praescriberet. Mox regula eius in Francorum regno universa est facta, postquam synodi Aquisgranenses annorum 789 et 798 omnibus episcopis normam eam et exemplum commendarunt. Sic etiam Ludgerus noster, ut supra memoravimus, ecclesiae suae Mimigernefordiae addidit „monasterium clericorum, Domino famulantium.“ Sed Chrodegangus praeceptum quoque dedit: „de pueris nutriendis custodiendisque,“ in quo de pueris iuvenibusque, qui clericorum curae traditi essent, haec iubet: „solenter rectores ecclesiarum vigilare oportet, ut pueri et adolescentes, qui in congregatione sibi commissa nutriuntur vel erudiuntur, ita iugibus ecclesiasticis disciplinis constringantur, ut eorum lasciva aetas et ad peccandum valde proclivis, nullum possit reperire locum, quo in peccati facinus proruat. Quapropter in huiusmodi custodiendis et spiritaliter erudiendis, talis a praelatis constituendus est vitae probabilis frater, qui eorum curam summa gerat industria, eosque ita artissime constringat, qualiter ecclesiasticis doctrinis imbuti, et armis spiritalibus decenter parere, et ad gradus ecclesiasticos quandoque digna possint promoveri. Libuit praeterea ob aedificationem congruam et instructionem

---

<sup>1)</sup> De Ludgeri schola cf. C. F. Krabbe: *Geschichtliche Nachrichten über die höheren Lehranstalten in Münster*, Münster, 1852, p. 19 seqq.

negotii, de quo agitur, quamdam sanctorum patrum sententiam huic operi inserere, quae ita se habet: „prona est enim omnis aetas ab adolescentia in malum. Quique autem in clero puberes aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commoverentur, ut lubricae aetatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem et magistrum doctrinae et testem vitae habeant, cet.” His ita praemissis, oportet ut probatissimo seniori pueri ad custodiendum, licet ab alio erudiantur, deputentur. Frater vero, cui haec cura committitur, si eorum curam parvi penderit, et aliud quam oportet, docuerit, aut his aliquam cuiuslibet laesionis maculam ingesserit, severissime correptus, ab officio amoveatur, et fratri alii hi committantur, qui eos et innocentis vitae exemplis informet et ad opus bonum peragendum excitet”<sup>1)</sup>. Hoc praescriptum Chrodegangus ex quarti concilii Toletani decretis desumpsit; anno 816 synodus Aquisgranensis, cui etiam Gerfridus, episcopus Monasteriensis, aderat, idem constituens, ipsius Chrodegangi verbis usa est<sup>2)</sup>.

Carolus Magnus quoque capitularia de puerorum eruditione evulgasse diximus. Anno enim 789 Aquisgranis de scholis episcoporum et monachorum haec praescripsit: „... et ut scholae legentium puerorum fiant. Psalmos, notas, cantus, computum, grammaticam per singula monasteria vel episcopia discant; sed et libros catholicos, bene emendatos, habeant; quia saepe, dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros male rogant. Et pueros vestros non sinite eos, vel legendo, vel scribendo, corrumpere. Et si opus est euangelium, vel psalterium et missale scribere, perfectae aetatis homines scribant cum omni diligentia”<sup>3)</sup>. In synodo magna Aquisgranensi, anno 802 habita, Carolus episcopis abbatibusque statuendum mandavit<sup>4)</sup>, quae cleri-

1) Apud Hartzheim: *Concilia Germaniae*. Tom. I, p. 110.

2) Apud Hartzheim: o. l. I. p. 510.

3) Apud Pertz: o. l. III, p. 65.

4) Apud Pertz: o. l. III, p. 105.



cis per totum Francorum regnum discenda essent; atque huius synodi decreta per totum mediæ aevi spatium valuerunt. Atqui ex iis etiam concludere nobis licet, quae disciplinae, quae artes clericis essent discendae; quoniam ideo in scholis iis essent tradendae. Praeterea hinc non praetermittendi sunt, qui codices manuscripti, praecipue glossati, e medio aevo nobis supersunt, quippe qui horum temporum eruditionem et institutionem satis perspicue nobis adumbrent <sup>1</sup>).

Sacrae Scripturae studium primum locum occupare solebat; hoc enim nos docent glossaria s. lexica alphabetica Latino-Germanica, libri biblici et commentarii, glossis praediti, qui ex illis diebus ad nostrum tempus pervenere. S. Codex legi incipiebatur, quando prima elementa legendi, scribendi et grammaticae Latinae pertractata erant. Initium faciebant discipuli a libris biblicis iis, qui haud difficillimi essent intellectu; Vetus Testamentum et Novi Foederis partem perlegebant, et in his saepius euangeliorum versionibus utebantur. Quum vero epistolae Petri, Iacobi et Iohannis plerumque glossis Germanicis, Pauli autem Latinis sint auctae et praeditae, pro certo statuere licet, huius apostoli epistolas a discipulis, aetate et scientia provecioribus, esse lectas.

Deinde — ut de multis pauca memoremus — artem poëticam meditabantur clerici, quacum coniungebatur cantus sacer, cuius textum praebant psalmi hymnique Sacrae Scripturae, et poëtarum christianorum carmina. Lingua huius cantus erat Latina, sed ut etiam populus eum intelligeret, versiones divulgari solebant. Porro Gregorii Magni Liber pastoralis clericos iuniores practicam sancti muneris partem docebat, quum patrum ecclesiasticorum homiliae iis exempla essent artis concionandi. His denique si addimus ius ecclesiasticum, ad quod discendum canones apostolorum, statuta conciliorum, et paparum decreta legebantur; historiam Ec-

<sup>1</sup>) Cf. R. von Raumer: *Die Einwirkung des Christenthums auf die Althochdeutsche Sprache*. Stuttgart, 1845, p. 212 seqq.

eclesiae Christianae, scriptorum classicorum studium et, quae omnibus praecedebant, trivium et quadrivium; breviter, at pingui Minerva, ut aiunt, et minime accurate et plene, eruditionis ambitum descripsimus, qua clerici eo tempore fruebantur. Quod vero attinet ad Ludgeri scholam, etsi fontes nostri nihil afferant de disciplinis, quae in ea docebantur; facile tamen intelligimus, ibi quoque eadem esse tradita, quae in toto Francorum regno. Decreta enim synodorum totae Ecclesiae Germanico-Francae valebant.

Schola ea a Ludgero sedi eius episcopali, Mimigerneford, addita est atque origo fuit scholae cathedralis Monasteriensis. Sed etiam schola monastica, quae ad abbatiam Werthinnensem pertinebat, hinc minime silentio praetermittenda est. Utraque autem ea institutio a Ludgero fundari tum domum potuit, quum dioecesis aliqua ei esset dedita. Iam enim ante episcopatum discipulos suos habere solebat, qui, in itineribus eius comites, ab eo erudiebantur. Quod e nonnullis Altfredi testimoniis luculenter apparet. Nam Ludgerus, quam anno 782 Saxonum incursione Frisiam relinquere cogere, discipulos suos dimisit, duobus tantum, Hildigrimo et Gerberto, retentis <sup>1)</sup>. Postea Fosetslandiam adiit, incolis eius euangelium annuntiaturus, quorum princeps filium suum Ludgero erudiendum et baptizandum mandavit. Quem iuvenem, nomine Landricum, Ludgerus magister disciplinas, quae clericis necessariae haberentur, docuit et presbyterum ordinatum ecclesiae cuidam praefecit <sup>2)</sup>. Porro Igo quidam dicitur „presbyter et alumnus Ludgeri” <sup>3)</sup>. Denique Altfredus, Ludgerum in Sudergo pago, dioecesi sua, presbyteros ordinasse narrat, „quos verbi Dei coöperatores sibi ipsi nutritivisset” <sup>4)</sup>. Ludgerum igitur scholam suam habuisse, e locis allatis luculenter apparet, sed plura testimonia hac de re omnino nobis desunt. Altfredus enim, qui utinam discipulus fuisset Ludgeri, sine dubio longior de eius schola

1) Altfredus: o. l. Lib. I, cap. 18.

2) Ibid. cap. 19.

3) Ibid. Lib. III, cap. 4.

4) Ibid. Lib. I, cap. 20.

fuisset, sine dubio nonnulla memoriae prodidisset, quae iam nos ignorare vehementer dolet, quum vix sit dubitandum, quin ad Ludgeri laudes, ad viri optimi doctrinam, omne denique ingenium cognoscendum magnopere prodesset. Sed, heu! nihil fere de Ludgeri schola literis mandavit; magna quidem cum reverentia semper mentionem facit „de sancto Dei viro,” de eius industria, de multis eius laboribus; sed scribere de Ludgero, discipulis suis operam dante, artes disciplinasque docente, de Ludgero scribere magistro, sicut ipse Ludgerus de Gregorio, praeceptore suo, scripsit, hoc non potuit Altfriodus neque ratio ea cum eius scribendi consilio cohaeruit. Locus unus, in quo de Ludgeri schola agit, hic est: „discipulis suis mane diebus singulis tradere per se lectiones non neglexit, et quicquid in sacris codicibus faciendum invenit, illud instantissime studuit observare et docere”<sup>1)</sup>. Quae verba nos docent, Ludgerum, acque ac Egbertus, archiepiscopus Eboracensis, et Gregorius, abbas Ultraiectinus, mane discipulos suos docuisse. Cuius rei causa Ludgero quoque certo haec fuit, quod muneris eius officia nullam aliam dici horam ei relinquebant. Quod non ita accipi volo, quasi Ludgeri discipuli eo tantum diei tempore docerentur; imo vero sic potius statuendum esse puto, Ludgerum solum hora illa crastina docuisse, idque discipulos provectiores, quum alii eius presbyteri ceteros erudirent. Fortasse Ludgerus idem fecit, quod Egbertus, cuius supra mentionem feci, qui inde ab eo tempore, quo episcopus ordinatus esset, Novum Testamentum solum discipulis interpretari solebat. Sic etiam Ludgerus, episcopus ordinatus, tantummodo S. Codicis et patrum ecclesiasticorum operum interpretationi operam dedit.

Neque etiam bibliotheca Ludgeri scholae deesse potuit lievitve. Iam enim ipse bibliotheca illa egregia et locupleta Eboracensi usus erat, et ex Anglia in Frisiam rediit, „habens secum copiam librorum”<sup>2)</sup>, quos Eboraci emerat vel

<sup>1)</sup> Altfriodus: o. l. Lib. II, cap. 6.

<sup>2)</sup> Ibid. Lib. I. cap. 12.

transcripserat. Codices ii manuscripti, quos profecto Traiecti saepius a discipulis suis describendos curavit Ludgerus, sensim numero aucti, fundamenta esse poterant bibliothecarum Werthinensis et Monasteriensis. Atque iam minime praetermittendum est, et sine dubio operae pretium videtur memorare in Bibliotheca Regia Berilonensi adesse codicem manuscriptum, quem, ante hos triginta annos e tenebris erutum, quum antea Monasterii servaretur, ipsius Ludgeri manuscriptum esse vehemens est suspicio. Continet is liber quatuor euangelia, estque compactus, ut mos fert mediæ aevi, ebore splendidissime arte insculpto et caelamine ornato<sup>1)</sup>. Iam vero si meminerimus Ludgeri parentibus eas fuisse divitias opesque, quibus filius libros vel pretiosos emere posset, minime erit mirandum, codicem illum manuscriptum a Ludgero originem suam ducere. Quid? quod nihil obstat, quominus statuamus, Codicem illum nobilissimum Argenteum, qui saeculo decimo sexto exeunte in abbazia Werthinensi inventus est, a Ludgero ibi esse depositum. Quamquam hoc quidem, documentis deficientibus, minime pro certo affirmare velim; mera est coniectura, et tantum absum, ut monumentum illud antiquum Ludgero meo audacter tribuam, ut cuivis, Codicem Argenteum postea demum in Werthinam esse delatam probanti, facile me assensurum, iam nunc pollicear.

Hæc de Ludgeri schola sufficiant. Quæ paucissima tantum esse, neque enucleate et accurate exposita, fateri non pudet, quum fontes nostri nil amplius de ea schola memoriae tradant. Attamen, huius institutionis mentione facta, novam Ludgeri laboris episcopalis partem cognovimus. Quum enim hucusque aut euangelium annuntiantem, aut ecclesias multas aedificantem, aut varios fidelium coetus fundantem, apostolum nostrum vidimus; iam docentem quoque eum invenimus, ut presbyteros dignos, eruditos ecclesiis suis præficeret. Et revera vir summus, qui ipse iam antea discipulos scholæ Ultraiectinae disciplinas docuisset, is aptissimus erat

<sup>1)</sup> Krabbe: o. l. pag. 25.

dignissimusque, qui ipse suas scholas conderet, sua institutione iuvenes ad sanctum ministerium informaret. Quocirca etiam hac in re Ludgerum optime de Westphalia meritum esse, quidni libenter affirmemus?

---

§ 3.

LUDGERI MORS.

Per sedecim fere annos — nam accuratius temporis spatium definire non possumus — Ludgerus ét ecclesiae doctor ét episcopus dioecesi suae praefuit. Quot quantumque erat mutatum in Westphalia per huius temporis spatium! Nam Ludgerus, quum a Carolo Magno ad Saxones missus esset, populum invenit, libertatem deperditam moerentem, populum, religionem suam mutare coactum, ut aliam assumeret, quam ipse apostolus noster iis annuntiaturus venisset. Iam vero, postquam per tot annos industrie et indefesse munci suo operam dedit, Ludgerus operis sui egregii et pulchri maximam partem peregerat. Saxones enim et Frisii, quibus episcopum eum proposuerat Carolus Magnus, Christianos se professi erant, et regiones eorum pars erant factae Ecclesiae Romano-Catholicae; dioecesis Ludgeri magna in complures coetus divisa erat, quibus presbyteri praeerant, qui, in Ludgeri schola eruditi, incolarum vitam meliorem, puriorem reddere conarentur. Haec omnia Ludgerus effecerat; effecerat tamen haud sine multis laboribus, haud sine gravibus curis, sine maximis molestiis. Quare fieri non potuit, quin corporis vires sensim sensimque deminuerentur, frangerentur defatigatione, qua itinera, saepenumero suscepta, episcopum affecerant. Quum igitur canesceret aetas — anno enim 809 Ludgerus sexagenarius erat — corpus eius infirmitate est debilitatum, morboque continuo succubere vires. At quamvis vires eum deficerent, episcopus pius et industrius mu-

neris sui officia obire non cessavit; vitae spatium, quod sibi esset relictum, ita decurrere cupiit, ut aequae ac antea operam daret ei labori, qui vitae suae esset deliciae omniumque conatuum finis. Nequaquam igitur cessavit sacras Ecclesiae caerimonias administrare, S. Codicis lectionem audire, psalmos canere, missam celebrare<sup>1)</sup>. Tandem vero venit dies lethalis, 26 m. Martii 809, dies dominicus, ultimus, quo Ludgerus lucem vidit. Verisimiliter brevi se moriturum sensit et ex itinere quodam rediit, ut ad sedem suam episcopalem se conferret, ibique diem supremum obiret. In itinere autem eum fuisse inde patere videtur, quod illo die non Mimigernefordiae eum inveniamus, sed in duobus locis, non procul a monasterio remotis. Hora enim crastina in Coasfelt (Coesfeld) loco praedicavit, presbytero aliquo, episcopi loco, missam canente; hora tertia Billurbikae aderat, ut etiam ibi postremo missae caerimonias administraret. Ibi vero manere coactus est, neque infirmitas ei pergere iter concessit; ibi quoque nocte, quae diem illam dominicam secuta est, a discipulis circumdatus, diem suum obiit Ludgerus, vir summus, apostolus pius et industrius, episcopus egregius.

Fieri non potest, quin multa Ludgeri biographi nobis narranda habeant de miraculis et signis, quae eadem hora, qua vir sanctus mortuus esset, acciderint. Vitae enim sanctorum plerumque multa memoriae tradere solent de rebus singularibus, quae magni alicuius viri obitum celebrarent, de miraculis, de monstris, quae manifeste declararint virum fuisse sanctum, ac peculiari Dei favore et ope fruentem. Sic etiam Alfridus et ceteri Ludgeri vitae scriptores; sed etiam hinc valet, quod iterum moneri non indignum videtur, traditionem eo maiorem et locupletiolem esse factam, quo serius res sint narratae. Sed ne multis moremur, quae horum scriptorum quisque memoriae tradidit, breviter recensamus. Atqui primus sese affert Alfridus, qui haec nar-

<sup>1)</sup> Alfridus: o. l. Lib. II, cap. 7.

rat <sup>1)</sup>): quum Ludgerus moribundus in Billurbike vico in lectulo iaceret, Gerfridus presbyter aliique clerici ad eundem vicum se contulerunt, ut episcopum suum viserent. Brevis adhuc supererat via piis discipulis, quum subito magnum lumen, in coelum adscendens, viderent, cuius splendor erat tam nitidus, ut noctis tenebras prorsus depelleret. Quo signo, Ludgerum iam esse mortuum, intellexere clerici et brevi post, revera episcopum diem suum obiisse eodem tempore, quo lumen sibi apparuisset, certiores facti sunt. Haec Altfridus. *Vita* autem *secunda*, hoc miraculo non contenta, addit, lumen illud etiam vidisse Carolum Magnum et Aleuinum, qui eadem nocte Aquisgranis stellas contemplant <sup>2)</sup>). Atqui huius vitae scriptor, enarrationem suam submendacius fingens, Aleuinum iam anno 804 diem suum obiisse obliviscitur. Idem etiam loco eodem, quo haec narrat, Ludgerum iam ante suam mortem vaticinantem fingit, quae postea fierent de cadavere suo. *Vita* denique *tertia* his omnibus sua addit portenta et miracula, aequae ridicula, aequae mendacia et falsa. Nos vero, omnia illa miracula nihili facientes, viam historicam incamus, atque Cincinnio, qui maxima cum cura et diligentia *omnia* miracula e Ludgeri vitae scriptoribus desumerit, eiusmodi inquisitionem libenter concedamus.

Sapientius Ludgerus, vivus adhuc, discipulos iusserat, cadaver suum in abbacia Werthinensi sepeliendum esse, et discipuli, episcopo mortuo, ex magistri voluntate facere voluerunt. Sed et laici et clerici multo potius optarunt, ut episcopus mortuus in sede episcopatus, in Mimigerneford loco, requiesceret, ut cineres eius in media sua dioecesi componerentur. Quid enim viri dilectissimi cadaver in locum, tam longe distantem, deferatur, qui locus praeterea in dioecesi aliena situs sit? sic enim iure quaesivit populus Westphalicus, et pertinaciter restitit <sup>3)</sup>), quum Ludgeri discipuli magistri corpus in Wer-

1) Altfridus: o. l. Lib. II, cap. 7.

2) Lib. I, cap. 35.

3) Altfridus: o. l. Lib. II, cap. 8.

thinam deferre pararent; et tam vehementer clericis adversatus est populus, tantae lites sunt exortae, ut tandem Ludgeri discipuli consentirent, ut episcopi cadaver Mimigernefordiae, in ecclesia, Mariae consecrata, poneretur, donec Carolus Imperator de ea re iudicasset. Et iudicavit Carolus; mox enim Hildigrimus, episcopus Cadalonensis, cum imperatoris mandato Mimigernefordiam advenit, qui edixit cadaver esse sepeliendum, quo loco Ludgerus ipse voluisset. Iam igitur populus non amplius resistere aut valuit aut ausus est; et mox Ludgeri discipuli iter inierunt Werthinam versus, clericis hymnos et psalmos canentibus, quum populus, cui carmina ea sacra canere non esset licitum, tantummodo „Kyrie eleison!“ clamitaret<sup>1)</sup>. Die 26 m. Aprilis Ludgeri corpus Werthinam advenit, ubi extra ecclesiam ad parietem orientalem compositum est, et quidem extra ecclesiam, quia ipse Ludgerus praescripserat, „ne in ecclesia sua consecrata sepeliretur corpus humanum.“ Res sine dubio memorabilis et digna, quae Mabillonii verbis illustretur: „varia fuit in ecclesia huius rei consuetudo pro temporum et locorum varietate. Theodulfus, Aurelianensis episcopus, fere in Ludgeri sententia erat, cum in Capitulari ad parochos praecipit, cap. 9: ut nemo in ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona sacerdotis aut iusti hominis, quae per vitae meritum talem vivendo, suo corpori defuncto locum adquisivit. Concilium Moguntinum anni 813 in cap. 52: Nullus mortuus infra ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi, aut abbates, aut digni presbyteri, vel fideles laici. Idem statuit Carolus Magnus in Capitulari eius anni, cap. 20.“ Ex hisce enim discimus, morem cadaverum in ecclesiis sepeliendorum eo tempore non fuisse universum; verisimiliter locorum sacrorum reverentia effecit, ut multi episcopi, aequae ac Ludgerus, tale quid minime sinerent. Nec tamen diu ea

---

1) De his cf. Hoffmann von Fallersleben: *Gesch. des Deutschen Kirchenliedes*, Hannover, 1854. 1<sup>e</sup> editio. pag. 8 seqq.

2) Cf. Mabillon: *Acta SS. ord. Benedicti*, Saec. IV; parte I, p. 15.



reverentia permansit, nam Ludgeri successores viri pii exemplum laudandum minime sunt imitati; etenim iam anno 875 iussu Hildigrimi II, episcopi Halberstadiensis et curatoris abbatae Werthinensis, oratorium supra Ludgeri sepulcrum consecratum est; et postea, anno circiter 1075, Adalwicus, abbas Werthinensis, cadaver ex huius oratorii crypta transferendum curavit in maiorem monasterii ecclesiam, ubi pone altare summum depositum est in cista pretiosa, supra duas pulchras columnas marmoreas <sup>1)</sup>).

Ludgeri sepulcrum iam brevi post mortem eius magna fidelium multitudo frequentare solebat, ut apud reliquias viri sancti morbis et doloribus sanaretur; et quanto successu Ludgeri cadaver vel potius eius intercessio effecerit, ut corporis dolores et mala sanarentur, hoc Ludgeri biographi nobis persuadere conantur, enarrationibus suis longam seriem miraculorum addendo, quae Werthinac facta esse perhibent. Atqui non semper christiani se in monasterium Werthinense contulerunt eo consilio, ut, morbo aliquo affecti, sanati redirent. Saepius enim Saxones Frisique Werthinam proccerunt, ut cum monachis festa celebrarent, in Ludgeri honorem instituta <sup>2)</sup>). Sic dies 26 m. Martii „dies S. Ludgeri“ celebrari solebat, quia illo die episcopus pius coelo esset natus; dies 8 m. Octobris erat „dies translationis S. Ludgeri,“ quo translatio cadaveris eius in Werthinam in memoriam revocabatur; dies postremo „cxsequiarum S. Ludgeri“ eius sepulturae mentionem faciebat. Hisce festis Bernhardus abbas medio saeculo duodecimo addidit „festum portationis reliquiarum S. Ludgeri,“ die 23 m. Augusti, quia viri sancti intercessio eo die aliquando effecisset, ut siccitas diuturna cessaret pluviaeque salutiferae terram fertilem redderent <sup>3)</sup>).

Hoc modo igitur monachi Werthinenses abbatae suae conditorem, Frisiorum Saxonumque apostolum, primum Mo-

1) Vid. Mabillon: L. I. — Behrends: o. I. p. 81.

2) Cf. Behrends: o. I. p. 57.                      3) Cf. Cincinnius: L. I.

nastericusem episcopum in memoriam revocare sunt conati. Atqui etiam nostra aetas idem opus suscepit; nam in Westphalia societas quaedam <sup>1)</sup> est conflata, de Ludgeri nomine dicta, quae in memoriam apostoli industrii crucem ferream erexit ad fontem Helmstadiensem. Quamvis autem vero non consentaneum sit, Ludgerum in locis, Helmstadiae adiacentibus, evangelium annuntiasse; quamvis ideo illud monumentum nullius sit, societatis tamen origo laudanda videtur, quia etiam eo potissimum consilio est instituta, ut pueros curaret excolendos, instituendos, erudiendos. Nam sic profecto societas ea de Westphalia, imo de tota Germania bene merebitur, si modo, qui unus omnium optime Ludgeri piis desideriiis et consiliis convenit, apostolum nobilissimum erit imitata.

---

§ 4.

LUDGERI INGENIUM ET INDOLES.

Perfecimus tandem, quod ab initio nobis proposuimus, vidimusque Ludgerum, primum et principem e nostratibus apostolum, agentem in terris nostris, praedicantem Christum, rudes et incultos nostrae patriae vicinarumque regionum incolae docentem. Operae igitur pretium videtur, ut Ludgeri vita narrata, de eius indole et moribus nonnulla inquiramus. Quod antequam suscipimus, observandum videtur, in universum sanctorum vitarum scriptores minime animum advertisse ad cuius viri egregii sanctitatem et pietatem laudare conarentur indolem, mores, ingenium. Magnum praesertim viri sancti laboris ambitum ostentare; multa miracula, aut ab ipso vivo, aut post eius mortem ad eius sepulcrum facta, narrare; haec sunt, quae pleraeque sanctorum vitae coram nobis adumbrent, haec, quae etiam Ludgeri biographi facere conantur. Quodsi vero inquirere volumus

---

<sup>1)</sup> *Ludgeri-Verein*, de qua cf. Behrends: o. l. *Vorrede*.

de indole et ingenio viri sancti, omnia fere testimonia nobis desunt; invenimus quidem vitae descriptionem; sed, eheu! quaenam effecerint, ut sanctus aliquis vitam iustam et piam ageret; quinam vitae sanctae fuerit fons, quinam animus, quod ingenium, unde vita tam sancta profecta sit, hoc si quaerimus, iidem biographi nil respondent, ut fere omnis spes concidat clarae et verae sancti imaginis repraesentandae. Quibus accedit, quod exstat aequabilitas quaedam in variis apostolorum nostrorum vitarum enarrationibus. Hos enim fuisse viros, qui amore Domini ducti, ad gentiles se conferrent, hos prae aequalibus suis multis virtutibus excelluisse, hos vita fuisse laboriosissima, aequae sanctos, aequae pios, eorum panegyrici illi iterum iterumque dictitant, et tanta est ea omnium apostolorum vitarum aequabilitas, ut quis credat, omnibus nostris apostolis eundem fuisse animum, idem pectus, idem ingenium. Sin autem roges, quaenam sint notae, quibus varii hi viri distinguantur, nil fere satis digni invenias, et paucissima tantum testimonia, lectori diligenter colligenda, hinc luce, quamvis parca et haud sufficiente, sancti ingenium collustrant.

Haec omnia nobis in mentem venerunt, quum de Ludgeri indole moribusque nonnulla scribere susciperemus. Nam etiam de eius ingenio et animo nihil fere eius vitae scriptores memoriae tradiderunt, et quae pauca invenimus, minime ea sunt, ut imaginem claram et omnibus numeris absolutam inde efficere possimus. Attamen paucis iis, ab Alfrido praesertim nobis proditis, hinc, quam diligentissime possumus, utamur.

Alfridus igitur, quum Ludgerum a condiscipulis suis dilectum fuisse narrat, huius rei causam hanc dicit: „eo, quod esset vir mirae mansuetudinis, vultu hilari, non tamen facilis in risu, et in omnibus actibus prudentiam cum temperantia amplectens”<sup>1)</sup>. Quae verba nos docent, Ludgero

---

1) o. l. Lib. I, cap. 9.

fuisse magnam animi lenitatem, mansuetudinem quandam et facilitatem, qua condiscipulos arcte sibi coniunxit; porro prudentiam et mentem gravem, quae tamen non omne vitae gaudium haberet generi humano alienum. Haec pauca nobis de Ludgeri indole tradit Alfridus; sed, quamvis pauca sint, vera ea fuisse, Ludgeri vita probat. Annon ea animi lenitas etiam effecit, ut mentes et corda eorum, ad quos Christi apostolus veniret, commoverentur ad fidem christianam assumendam? Nonne prudentia ea, sapiens ea agendi ratio, quae cuiquam apostolo tam necessaria esset, nonne haec causa fuit, qua Ludgerus laborem suum tanto successu peragere potuit?

Sed praeter hoc Alfridi testimonium, Ludgeri ipsius liber, memoriae Gregorii abbatis dedicatus, nobis indicia dare potest, quibus scriptoris indolem, mores, virtutes cognoscere possimus. Pro certo enim haberi posse putamus, eas virtutes, quas in magistro discipulus quam maxime admiratus est, quas idem tanto ardore laudat, quas unas omnium boni pastoris et praeceptoris esse dicit, eas virtutes, inquam, Ludgerum esse imitatum suasque reddidisse. Quum ergo legamus Ludgeri opusculum, Bonifacii atque Gregorii industriam laudantis <sup>1)</sup>, iuro quaerimus: nonne ipse, Frisiorum Saxonumque apostolus, eandem industriam, eandem curam praestitit? Porro Ludgerus pulchre et egregie mentionem facit de pio Gregorii ingenio, de pia eius mente, quae praesertim cognosci posset ex eiusdem amore inimicorum <sup>2)</sup>; laudat magistri sui humilitatem, eius sobrietatem <sup>3)</sup>, magnificentiam, divitiarum contemptum <sup>4)</sup>. Atque pium discipulum in hisce virtutibus saltem magistrum suum esse imitatum, docet nos alterum Alfridi testimonium: „carnis,” sic enim scribit <sup>5)</sup>, „carnis esum certis temporibus non renuit; satiatum tamen illum cibo vel potu discipulorum eius nemo umquam vidit; sed

1) *Vita Greg.* cap. 7.

2) *Ibid.* cap. 13, 18.

3) *Ibid.* cap. 17.

4) *Ibid.* cap. 17, 19.

5) *o. l. Lib. II. cap. 6.*

cum ad se more solito pauperes ac divites pransuros invitasset, dulcia aeternae vitae illorum cordibus infundere documenta non cessavit, ita ut plus spiritualibus quam carnalibus deliciis satiati remearent. Erat itaque pater egenorum et desceptor sui, et, secundum apostolum, sic se omnibus coaptare curavit, ut omnibus prodesse potuisset." Videmus igitur hinc easdem virtutes breviter esse commemoratas, ob quas Gregorius abbas ab ipso Ludgero laudatur. Imo vero, si *vitae secundae* <sup>1)</sup> enarratio quaedam fide est digna, Ludgerus ob suam pauperum misericordiam aliquando in Caroli Magni aula accusatus est, quippe qui, pauperibus nimium tribuens, ecclesiarum et oratoriorum splendorem ornatumque minoris haberet momenti. Accusatio tamen haec ei non nocuit; nam a Carolo accessit Ludgerus se virum praestitit, qui Dei reverentiam imperatoris voluntati anteponeret, ita ut Carolus Magnus eum nec puniret nec reprehenderet, sed laudaret potius et honore afficeret magno.

Patet igitur, duo Alfridi testimonia et Gregorii abbatis vitam tantummodo nobis adesse, quibus Ludgeri indolem cognoscamus. Attamen his nobis est addendum aliquid, quod etiam ad Ludgeri animum pertinet; animadvertendum enim est nobis ad eius visiones, quarum iam duas commemoravimus. In his quoque multis nostrorum apostolorum similis est: aequae ac illi, Ludgerus saepe in somniis suis vel visionibus res gravissimas audit, imo res futuras iam praevidet. Difficile sane est dictu, quot quantaque falsa et ficta biographus quis enarrationi suae addiderit; attamen longe absit, ut omnia negem, quia praesertim viri docti, qui psychologiae studio operam dederint, harum visionum originem et naturam optime explicarint <sup>2)</sup>. Fieri non potuit, quin pietas animique gravitas, qua apostoli nostri labori, a se suscepto, curam gererent, id tandem efficeret, ut labor ille iis semper ante oculos versaretur, ita ut saepius

<sup>1)</sup> Lib. I, cap. 32.

<sup>2)</sup> Vid. cl. W. Moll; *Johannes Brugman*, II, p. 88 seqq.

revera iam se adspicere putarent, quae in cogitatione tantum et mente adhuc adessent. Meminerimus etiam eorum vitae degendae rationem severam, eorum ἀσκήσεως studium, ut legimus, Ludgerum, usque ad vitae suae finem cilicio (vesti pilosa), nullo conseio, vestitum fuisse <sup>1)</sup>). Prope Arnapam fluvium, in loco Ad-Crucem, per totam noctem in alta nive genua volvit ad precandum; Werthinae quoque nocte sub dio preces fudit. Nonne tanta mentis ingeniique virium contentio efficere potuit, ut, corporis cura prorsus neglecta, Ludgerus tandem sibi videretur revelationem accipere, quam a Deo tandiu exspectasset? Praeterea, neque hoc silentio praetereundum est, visiones eius non eae fuerunt, quae cum ipsius vita non cohaerent, quamobrem rei veritatem omnino addubitare vetatur. Quodsi enim audiamus, Ludgerum in somnio Lebuinum aspiciere, locum ei indicantem, ubi corpus suum sepultum sit, hoc tempore fit eo, quo Ludgerus Lebuini cineribus inveniendis maximam dat operam <sup>2)</sup>). Alio quodam tempore apostolus noster in somnio magistrum suum mortuum videt, qui res futuras ei indicat atque honorem et magnitudinem ei vaticinatur <sup>3)</sup>). Abbatis igitur dilectissimi memoria effecit, ut Ludgerus Gregorium aspiciere sibi videretur; neque veri dissimile est, et iure quodam suspicimus, vaticinium hoc de magnitudine futura documento nobis esse carum, quae id temporis in presbyteri iuvenis animo adessent, cogitationum et ambitionis, quae iuvenis mentem occuparent. Tertiam etiam visionem Alfridus refert. Quum enim Ludgerus aliquando Werdinae (Wierum) esset, haec Heriburgae, sorori suae, narravit: „vidi,” inquit, „per somnium quasi solem fugientem supra mare a partibus aquilonis, et nubes teterrimas sequentes; qui fugiens ac deficiens pertransivit nos, ita ut elongatus a nobis videri non posset, et caligines, quae eum fuerant secutae, obtinuerunt omnia loca haec maritima. Post multum vero temporis reversus

1) Alfridus: o. l. Lib. II, cap. 6.

2) Ibid. Lib. I, cap. 14.

3) Ibid. Lib. I, cap. 16.

est sol minor et pallidior, quam fuisset prius, effugavitque caliginis trans mare”<sup>1)</sup>). Heriburga huius visionis explanationem a fratre petiit; et, lacrimas fundens, Ludgerus ei dixit, Northmannos esse venturos, bellum et vastationes et populationes secum ferentes; Christi ecclesiam multis malis esse passuram; tempora tristia calamitatum Frisiae esse futura, donec pax esset reconciliata et quies rediisset. Itaque vaticinio illo percussa, Heriburga optavit, ut ipsa ante tempus illud triste diem suum obiret; sed, eheu! consolationem eam ademittit ei frater, dicendo, eam omnes illas calamitates esse visuram, se autem, quando haec acciderent, non amplius fore in vivis. Ludgerum autem talia vaticinari potuisse, inde explicandum videtur, quod maximo studio animum adverterat ad temporis sui res memorabiles. Bene intellexit, quanta essent metuenda a Northmannis illis, qui libere adhuc et sui iuris viverent; quantas clades, quantas misérias afferre posset populus ille maritimus, populus marium dominus, si quando se vertissent in litora Francorum, quae, nullo resistente, nullo arma contra ferente, occupare possent<sup>2)</sup>). An metus ille fortasse apostolum commovit, ut Northmannos adire iisque euangelium annuntiare vellet<sup>3)</sup>, quo periculum imminens amoveretur, si ipsi barbari piratae Christi sectatores se essent professi? Incertum est; sed hoc pro certo statuere licet, Ludgerum, metu Northmannorum incursionis ductum, monasterium suum non prope mare aedificasse, sicut antea sibi proposuerat.

Sed praeter hasce visiones ultimo loco nobis aliud quoddam spectandum est in Ludgeri indole moribusque cognoscendis: ratio, dico, quae fuit eum inter et papam Ecclesiae

<sup>1)</sup> Altfridus: o. l. Lib. II, cap. 3.

<sup>2)</sup> Operae pretium est, hoc loco commemorare, Carolum Magnum quoque futuras Northmannorum incursiones, misérias et calamitates, quas hi piratae essent allaturi, esse vaticinatum. Vid. Monachus Sangallensis: *de gestis Karoli Imperatoris*, Lib. II, c. 14; apud Pertz: o. l. II, p. 757.

<sup>3)</sup> Altfridus: o. l. Lib. II, cap. 6.

Romano-Catholicae. Fuerunt et sunt etiamnum <sup>1)</sup>, qui dixerint, Bonifacium famulum servumque fuisse papae, qui hunc Germaniae ecclesiam papae potestati subieccisse in vitium vertant atque tantum abfuisse accusent, ut populo Germanico Christi libertatem attulerit, ut multo potius Germaniam Romae imperio subdidisse existimandus sit. At videant, qui ita laudes viri pii detrectant, videant, inquam, num apostoli et Frisiae et Germaniae aliud euangelium annuntiare *potuerint*, nisi quod illis diebus in ecclesia vigeret; videant, annon euangelium illud, quamvis imperfectum, Germanos tamen liberos reddiderit, humanitate christiana donaverit. Sed hinc de ea re longiores esse non possumus, atque indicare tantum cupimus, Bonifacium non solum, sed omnes fere medii aevi apostolos eo teneri crimine, si saltem crimen habendum sit, quod equidem quam maxime nego. Concedimus quidem, Bonifacio saepius parvum et pusillum fuisse animum quum papae in omnibus absolute et serviliter obediret; ceteroquin de ceteris apostolis, aequae ac de eo valet, eos, quatenus fidem christianam propagarint novasque regiones converterint, simul Ecclesiae Romano-Catholicae dicionem ampliassse atque papam ecclesiae principem habuisse. Quod ad Ludgerum attinet, memoravimus cum iter Romam suscepisse, cum in Monte-Casino per duorum annorum spatium esse versatum eo consilio, ut ipse monasterium fundaret ad normam magni illius monasterii Benedictini, cuius regulas totius Ecclesiae monasteria sequebantur. Praeterea omnia, quae Ludgerus fecit, nobis indicant, eum Ecclesiae institutiones introduxisse, ubicunque apostolus euangelium annuntiaverit. Et quam severe eas institutiones vindicare conatus sit Ludgerus, nec unquam, etiam in rebus minutissimis et exiguissimis, ab Ecclesiae legibus et caerimoniis decedere voluerit; huius rei certiores facti sumus, quum clericum, officium ei praestantem, poena affici videremus <sup>2)</sup>, quod hic eo officio praestando Ecclesiae caerimonias violas-

1) Cf. C. C. J. Bunsen: *Leekonen des Tijds*, p. 47 seqq.

2) Vid. supra p. 129.



set; quum videremus, eum feminae alicuius donum recusare<sup>1)</sup>, quia eius matrimonium illicitum esset neque secundum Ecclesiae leges institutum. Haec omnia nos docent, Ludgerum, acque ac Bonifacium, fidelem Ecclesiae Romano-Catholicae ministrum et famulum fuisse.

Hisce rebus expositis, Ludgeri indoli moribusque inquirendis finem faciamus, de quibus egimus, quatenus fontes nostri materiem nobis praebuerunt. Iam vero paragrapho, quae totius nostri speciminis ultima erit, de scripto eius iucundissimo agamus. Sit haec paragraphus pro commentario praevio, quod ipsi libro, typis in fine disputationis descripto, nos addituros polliciti sumus.

§ 5.

LUDGERI SCRIPTUM.

Antequam de Ludgeri scripto aliquid in medium profcriamus, breviter nobis agendum est de poëmate quodam, in regione Monasteriensi, in eadem adeo regione composito, quo euangelii nuntius venit apostolus noster; quod poëma maximi momenti esse habetur, non tantum quia monumentum pretiosissimum est antiquae linguae Saxonicae, verum etiam quia, quomodo de religione christiana homines illius aetatis atque in illis regionibus viventes cogitarint, indicio nobis esse potest. Quod poëma dicam, iam nemini dubium esse puto; est poëma nobilissimum illud, cui nomen *Heliand*<sup>2)</sup> eam potissimum ob causam inditum, quod, e quatuor euangeliiis inter se collatis et in unam narrationem reductis, compositum atque in rhythmo quodam conclusum, Iesu vitae ac passionis narrationem exhibet. Si traditioni fides habenda

1) Vid. supra p. 128.

2) *Heliand*, ed. Schmeller. München, 1830. — Cf. G. G. Gervinus: *Gesch. der Deutschen Dichtung*. Leipzig, 1853, p. 73 seqq. — Krabbe: o. I. p. 23 seqq.

est, poëma illud Ludovici Pii imperatoris mandatu a poëta Saxonico, eoque agricola, compositum est. Plura vero hae de re commemorare, huius loci non est; nec tamen prorsus eam silentio praeterire nobis licebat, quum, utrum iure an secus Ludgero etiam in poëmate hoc conscribendo partes quaedam tribuantur, adhuc dubitari possit. Degebat etenim, medio saeculo septimo, in Britannia pastor quidam, cui nomen Caedmon<sup>1)</sup>, qui ter in somnio mandatus fuisse dicitur, ut carmen aliquod conderet. Primo restitit quidem pastor seque carmini faciendo imparem esse affirmavit; at tertio voci auditae tandem obtemperans, carmen composuit „de principio creaturarum.” Hoc autem carmine, die sequenti cum Hilda, coenobii Whitbiensis (Whitby) abbatisa, communicato, Caedmon, inde ab eo tempore in monachorum numerum relatus, multa composuit carmina, quorum pleraque ex historia biblica argumentum aliquod tractabant. „Canebat de creatione mundi, et origine humani generis, et tota Genesis historia, de egressu Israël ex Aegypto, et ingressu in terram repromissionis; de aliis plurimis S. Scripturae historiis, de incarnatione Domini, ac passione et resurrectione et ascensione in coelum; de adventu Spiritus Sancti et apostolorum doctrina; item de terrore futuri iudicii et horrore poenae gehennalis, ac dulcedine regni caelestis multa carmina faciebat”<sup>2)</sup>. Quae Caedmonis carmina, lingua Anglo-Saxonica conscripta, mox innotuere non solum, sed etiam fama illustrissima inclaruerunt. Quum autem, quod ad dispositionem et formam rhythmicam attinet, cum Heliand nostro maxime conveniant, et praeterea de poëmatibus huius Monasteriensis ortu eadem existat traditio, quam de Caedmonis operis origine Beda nobis refert, sunt qui statuunt, poëtam Monasteriensem Caedmonis carmina non tantum novisse, sed etiam imitatum fuisse. Quacrunt enim

---

1) De Caedmone eiusque carminibus cf. Beda: o. l. Lib. IV, c. 24.— Sharon Turner: o. l. p. 156 seqq.

2) Beda: l. l.

hi: quidni fieri potuit, ut Ludgerus, quem ex Britannia, ubi aliquamdiu commoratus fuisset, revertisse legimus „habentem secum copiam librorum,” inter libros hos Caedmonis etiam opera secum duxerit? Quibus iisdem carminibus — sic enim pergunt — postea fortasse aut ipse Ludgerus aut discipuli eius usi sunt, ut Novi Testamenti historiam in popularium commodum exponerent. Hoc autem si verum esset, celeberrimum illud poëma, cui nomen Heliand, non tantum aut Ludgero aut saltem ipsius scholae originem deberet, sed Ludgerus etiam tanto maioribus laudibus dignus esset, quanto, quod sibi imposuisset aut discipulis commendasset opus, praestantius difficilisque fuit. Sic enim operis magnifici et utilissimi, quum per id religionem christianam in gentilium domos quasi introduceret, in eorum animos quasi plantaret, aut scriptor aut saltem auctor, optime de humanitate, optime de Saxonibus esset meritis. Nec tamen (fateor enim) quicquam certi hac de re affirmari potest. Nittitur enim sententia ea meris coniecturis, quae, etsi verae esse possunt, multis aliis augeri licet aequae veris, sed contrarium probantibus. Nam quum saepissime et Anglos et Germanos se invicem frequentasse noverimus, nihil obstat, quominus ab alio quodam viro poëma illud translatum fuisse statuamus. Quocirca missam faciamus rem, multis dubiis vexatam, ut maiore cum fiducia de ipsius Ludgeri scripto loquamur <sup>1)</sup>).

„Ludgerus in scripturis sacris non mediocriter eruditus erat, sicut in libro, ab eo composito, de vita venerabilium eius doctorum, Gregorii scilicet et Albrici, aperte probatur; sed et primordia sancti Bonifacii adventus atque ordinationis, quae fuerant in alio opusculo praetermissa, pulchro sermone ipse conscripsit” <sup>2)</sup>). His verbis luculenter nos docet Alt-

<sup>1)</sup> Necessè mihi non videtur, ab integro hic ostendere, spuriam esse epistolam de canonizatione S. Suiberti, quam Ludgerum ad Rixfridum, episcopum Ultraiectinum, misisse ferunt. Satis superque ostenderunt Bollandiani: o. l. *Comment. praev.* § VII—VIII, p. 638 seqq. epistolam illam haud magis genuinam esse, quam Pseudo-Marcellini *vitam S. Suiberti*.

<sup>2)</sup> Altfridus: o. l. Lib. II, cap. 6.

fridus, Ludgerum hunc alterumve librum scripsisse; quid autem scripserit, minus perspicuum est. Nimirum qui ad nos pervenit Ludgeri liber, convenit quidem cum Altfredi relatione, quod attinet ad Bonifacii adventum atque ordinationem, quo accedit, quod Gregorii vitae descriptio *prorsus* praetermissa non est. Nec tamen haec completa absolutaque est, ne dicam, de Albrico nihil fere in libro illo reperiri. Quocirca haud improbabile mihi videtur, Altfridum minus accurate titulum indicasse, at nihilominus de eodem scripto cogitavisse, quod a Ludgero compositum esse novimus.

Hoc autem scriptum, quod vulgo audit: „vita Gregorii abbatis,” primum edidit Chr. Brower <sup>1)</sup> secundum MS. codicem Fuldensem, hoc titulo: „Commemoratio de S. Bonifacio atque Gregorio,” qui titulus, argumenti ratione habita, vulgari illi designationi praestat. Post Browerum „vitam Gregorii abbatis” ediderunt Surius <sup>2)</sup> et Mabillon <sup>3)</sup>, quorum hic, capitulum distributione ac notis additis, pulchriorem eamque meliorem praebuit editionem. Optime vero omnium egerunt Bollandiani <sup>4)</sup> in sua Ludgeri scripti editione, non tantum plura manuscripta inter se conferentes, sed etiam docto commentario praevio accuratam ac criticam de rebus, a Ludgero narratis, disquisitionem instituentes.

Quatuor illi editores haec de re inter se consentiunt, Ludgerum illius libri scriptorem esse, quae eorum sententia confirmatur tam Altfredi testimonio, supra laudato, quam Ludgeri ipsius verbis, quibus ad finem cap. 20 se scriptorem esse declarat. Utrum vero totum illum librum Ludgerus scripserit, an hic vel illic textui aliquid additum sit, nonnulli dubitaverunt. Nec id quidem absque omni causa. Est enim in Ludgeri narratione, quod plane differt ab iis, quae Willibaldus de Bonifacio scripsit; namque hic, per *tres an-*

1) *Sidera illustrium et sanctorum virorum*, cet. Moguntiae, 1616.

2) *Acta SS. a. d. 25 Aug.* tom. IV, p. 277—283.

3) *Acta SS. ord. S. Benedicti*, Saec. III, parte II, p. 319 seqq.

4) *Acta SS. a. d. 25 Aug. m. Aug.* tom. V, p. 254 seqq.

nos Bonifacium nostris in regionibus moratum esse narrat<sup>1)</sup>; Ludgerus vero, per *tredecim* annos factum id esse tradit<sup>2)</sup>. Vulgo putabant historici<sup>3)</sup> Willibaldum probabiliorem hac de re sententiam proposuisse. Quum vero inficiandum non esset, Ludgerum, quippe qui in Frisia esset natus, quamdiu illic manserit Bonifacius, memorare potuisse, difficultatem tollere ita solebant, ut Ludgeri narrationem senioris manus additamentum haberent. Quod quam temere factum sit, perspicue ostenderunt Bollandiani<sup>4)</sup>, e quorum observationibus criticis luculenter apparet, Bonifacii vitae chronologiam diligenti adhuc et accurata egere disquisitione, qua constitnatur, uter vere narraverit, Ludgerus an Willibaldus. Quum autem de chronologia ea nondum satis bene sit inquisitum, nos quidem longe absumus, ut assentiamur, Ludgerum, aut si ita mavis, „Gregorii abbatis vitam” errasse, et interpolatori cuidam hunc locum esse tribuendum. Quae quum ita sint, donec luce clariora interpolationis istius documenta nobis suppeditaverint viri docti, pro certo habemus, integrum Ludgeri nobis esse librum, sicut ipse scripsit apostolus, nec quicquam adulteratum aut vitiatum.

De tempore, quo scripserit Ludgerus, hoc solum monere possumus, ante episcopatum suum opus suum literis mandasse apostolum. Nam cap. 16 magna cum laude mentionem facit de iis Gregorii discipulis, qui episcopi sint facti; quod pro pudore et modestia sua non fecisset sine dubio, si ipse iam episcopus fuisset ordinatus; ita enim suas ipse laudes celebrasset. Nil amplius vero de tempore statuere nobis licet, quamobrem iam breviter significemus, quaenam in Ludgeri scripto contineantur; in quibus enumerandis eandem, quam Mabillon, capitum divisionem sequamur.

1) Willibaldus: *Vita Bonifacii*, cap. 16; apud Pertz: o. l. II, p. 341.

2) Ludgerus: o. l. cap. 3.

3) Cf. e. g. Diest Lorgion: *Gesch. van de invoering des Christendoms in Nederland*, p. 87, annot. 14. — Vir el. Royaards: o. l. p. 242 rem miserrime confundit.

4) I. I. *Comment. praev.*, § II, p. 242 seqq.

Brevi igitur praefatione praemissa, in qua suum scribendi consilium declarat, Ludgerus nobis narrat (cap. 2—3) Bonifacii adventum in monasterium Addulae, atque eiusdem cum Gregorio iuveni, Addulae nepote, colloquium; quod colloquium deinde cupiditate iuvenem implet sequendi Bonifacii; fit igitur Gregorius inde ab eo tempore assiduus magni Germaniae apostoli comes et socius. Porro capp. 4—10 nonnulla continent de Bonifacii labore apostolico in Hassia et Thuringia, usque ad ordinationem eius archiepiscopalem, quae Romae esse facta capp. 11—12 commemoratur. Deinde Ludgerus non amplius de Bonifacio scribit; sed de Gregorio solo narrare incipit, ita tamen, ut ipse affirmat, e multis pauca tantum memorabilia eligens, nec absolutam perfectamque Gregorii vitae imaginem depingens. Cap. 13 igitur Gregorii magnanimitatem, erga interfectores fratrum suorum praestitam, adumbrat; capp. 14—16 exponunt praeclara ca de schola Ultraiectina, quibus supra in specimine nostro usi sumus; capp. 17—19 rursus Gregorii animum nobilem et virtutes eximias laudant; tandemque capp. 20—22 de eiusdem viri egregii, Ludgeri magistri et amicissimi, morbo et morte mentionem faciunt.

Haec omnia Ludgerus literis mandavit in memoriam Gregorii, magistri sui dilectissimi, idque modo egregio, praeclaro, vere pio. Liber eius, stilo incundo conscriptus, inter optimas sanctorum vitas enumerandus est, quae ad nostram aetatem pervenerunt. Dulciculae ac decore magistri sui mortui amorem, reverentiam, aestimationem testatur Ludgerus, nec tamen ita, ut usquam laudes eius blanditiae dici possint. Librum eius legentibus, perspicuum nobis fit, plurimi abbatem Ultraiectinum fecisse Ludgerum ob multas eius virtutes egregias, ob magnum eius animum, pietatem, doctrinam, eam denique ob causam, quod vere Christi fuisset sectator Gregorius. Attamen, quamvis Gregorii virtutes summis laudibus efferantur, longe abest, ut Ludgerus nobis imaginem viri sancti, omnibus numeris perfecti adumbret, ut multi alii sanctorum biographi facere co-

nantur. Ineptus laudator noster ille dici non potest; mavult tacere, quam temere aut false aut exaggerate loqui: documentum certum, meo saltem iudicio, Ludgerum, quoad potuit, vere et sincere scripsisse. Neque igitur hanc ob causam minoris pretii nobis liber eius videtur, et potius eo magis nostra attentione digna. Verbo, ut quae sentio dicam: Ludgerus, si librum suum eo potissimum consilio scripsit, ut discipulis suis claram imaginem repraesentaret viri iusti et pii, hoc consilium quam optime perfecisse censendus est. Ideo etiam admonitiones scriptae sunt, quae v. c. in fine capp. 4, 10, 11, 13, 17, 19 inveniuntur; quas si Ludgerus libro suo addidit, ut discipulos suos ad easdem virtutes excitaret, quae in nobili Gregorii pectore fixae fuissent, fateri nobis licet, eas admonitiones pulcherrimas esse et maximi momenti, nec eius exilitatis aut satietatis, qua v. c. *vita tertia Ludgeri* admonitiones suas narratis addidit, taediumque lectorum haud parvum, quin etiam fastidium nonnumquam commovet.

Iudicium, quod de Ludgeri libro protulimus, fore speramus, ut quisque, librum eum perlegens, affirmet probetque. Quodsi ergo, de Ludgeri vita, de apostolico eius labore inquirendo, id effecimus, ut vir ille habeatur egregius, de Ecclesia Frisia condenda et stabilienda optime meritus; si hoc efficere, inquam, vires meae exiguae valuerunt, iam opto, ut eius laudes, eius merita maiora etiam existimentur, si quis Ludgerum scriptorem praeclarum cognoverit. Quod ut cuique esset facile, specimini nostro Ludgeri librum addidimus, quoniam Broweri, Mabillonii, Bollandianorum opera, in nostra patria saltem, rarius inveniuntur, quam ut nova editio „Gregorii abbatis vitae,” vel potius „Commemorationis de Bonifacio et Gregorio” (quo titulo potius cum Browero usi sumus) supervacanea videri possit. Quibus accedit, quod et vita Ludgeri, ab Alfrido conscripta, et Ludgeri ipsius liber, duo sunt documenta, prae aliis pretiosa et necessaria ad primam historiae Ecclesiae Nederlandicae periodum recte investigandam. Eo potissimum

consilio Ludgeri opus edidimus, sicut illud invenimus in editionibus, quae iam antea sunt evulgatae a Browero, ceteris. Quibus editionibus usi sumus, ut textum germanum et primum, quantum fieri potuit, accurate praebere, quum, quoties necesse et utile videretur, varias etiam lectiones indicaverimus. Quod autem attinet ad annotationes, si quis putarit, eam nostram fuisse mentem, ut plenam et accuratam interpretationem Ludgeri libri componeremus, fallitur vehementer. Supervacuum tale opus mihi visum est, idque hanc ob rem, quod Bollandiani in commentario suo praevio iam satis scriptum nostrum interpretati sunt. Praeterea nostrum erat, de Ludgero solo scribere; minime vero de Bonifacii Gregorique vitis disputationem instituere, quod omnino necessarium esset, si eam „Commemorationem” digne explicare vellemus. Annotationes igitur nostras tantummodo dedimus, aut quum res ipsa eas postulare videretur, aut quum falsa quaedam Ludgeri scripti interpretatio nobis esset refutanda.

Hiscæ igitur praemissis, librum, primum fortasse, qui a populari conscriptus est, sed qui meritissimo vetustissimum monumentum literarium est habendum, quod e Frisiis ad nos pervenit, lectoribus nostris offerimus. Adeant opusculum pulchrum, precor, si qui nondum disputatione nostra virum summum, virum pium, virum ingenii dotibus haud orbatum, Ludgerum agnoverint, et persuadeant sibi, optimo iure nobis de primo illo e nostratibus apostolo gloriari licere.



COMMEMORATIO DE S. BONIFACIO  
ATQUE GREGORIO.

---

PROLOGUS SCRIPTORIS.

Cap. 1. Sacrarum Scripturarum praeceptis monemur, ut diligamus Dominum ex toto corde, diligamus et proximum tamquam nos ipsos, et ut illos proximos nostros veraciter arbitremur, qui spiritualibus magis intenti sunt, quam carnalibus, atque ad eorum se promissa usque in diem novissimum piis operibus praeparare non cessant. Quos non carnalis generatio extollit inaniter, sed spiritualis regeneratio fructificare facit et proficere. Caritas ista, quamvis omnibus domesticis Catholicae fidei, quae per dilectionem operatur, maxime tamen sanctis patribus et praepositis nostris exhibenda est, sicut S. Apostolus adhortatur dicens: „rogo vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et praesunt vobis in Domino et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum; pacem habete cum iis.” Quae est ista notitia, qua praepositos nostros plus ceteris nosse praecipimur, nisi ut eis et viventibus debitum honorem et obsequium sincera intentione impendamus, et eorum pia et profutura exempla post obitum illorum non solum a memoria nostra numquam recedant, sed ea etiam ad aliorum aedificationem indesinenter sermonibus repetere et dilatare non cessemus? Quatenus id veraciter fieri valeat, quod idem Apostolus alio loco de ipsis spiritualibus patribus nostris hortatur et dicit: „quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem,” ut qui in praesenti mortalitate vestigia illorum et exempla et mente retinemus et actu, in futura immortalitate, secundum Euangelii dictum, gaudium Domini nostri simul cum eis mereamur intrare. Ad

illud pervenientes, dum largiente gratuita gratia Christi intraverimus felicitatem perennem, nemo tollet a nobis in sempiternum: quoniam ad illud in initio pio Conditoris proposito conditi sumus, et post lapsum primi hominis in mortem, Redemptoris nostri misericordi visitatione ad idem revocati, ad quod perventuri in die novissimae necessitatis, si certissima spe in diebus mortalitatis huius, et hortamenta sequimur spiritualium patrum, et semper nobis maxima gaudendi causa sit ipse Deus. Igitur quoniam, ut dixi, clare testimoniis Sanctae Scripturae, spiritualibus patribus honorem merito impendendum et post praecepta Dominica eorum iussis nihil praefendum, paucis iam aperire curabo, ob cuius reverentiam et dignam memoriam, hanc praefatiunculam praemiserim, pauca de innumeris benefactis eius, donante gratia Christi et meritis ipsius suffragantibus, scribere incipiens.

INCIPIIT VITA.

Cap. 2. Est enim mihi sermo iste de domno Gregorio abbate et praeceptore meo ab infantia, qui de nobili stirpe Francorum progenitus, nobilitate morum et sapientiae documentis nobilitatem seculi ornavit in omnibus ac superavit. Quam utique spiritalem nobilitatem et prudentiam assecutus est a s. martyre Bonifacio, archiepiscopo et magistro suo, qui in diebus nobilissimi principis Francorum, regis Karli <sup>1)</sup>, de Britannia et gente Anglorum clarissimum quoddam sidus Franciam veniens, sub regibus Karlmanno et Pippino, eiusdem regis Karli gloriosissimis filiis, quasi sol rutilans in sanctitate <sup>2)</sup>, expandit radios virtutis suae et praedicationis, omniaque prope regna, vivens in corpore, largissimis dapibus doctrinae suae reficiens, et fide melioravit et vita. Atque post transitum suum de hoc mundo per sanctum martyrium, eadem Francorum regna per electa grana discipulorum suorum, in exemplum Dominici seminis fructi-

<sup>1)</sup> i. e. Caroli Martelli.

<sup>2)</sup> *Par.* in virtute.

ficare fecit et proficere usque in hodiernum diem. Inter quos B. Gregorius columna Ecclesiae Dei inventus est, qui in diebus religiosissimi Francorum regis Pippini succedens magistro, genti Fresonum missus est praedicator, cui magistro et Bonifacio martyri B. Gregorius hoc modo adhaerere coepit et discipulatum eius subire.

Cap. 3. Cum ipse electus Dei Bonifacius martyr, post tredecim annos <sup>1)</sup> peractae in Fresonia praedicationis, quibus in australi parte lacu Alinari <sup>2)</sup> pauper euangelicus et propemodum solitarius sanctam sessionem suam tribus in locis peregisset, quorum vocabula locorum sunt haec. Primus vocatur Wyrda <sup>3)</sup>, in ripa fluvii Rheni, ubi septem annis habitavit. Secundus vocatur Attingohem iuxta amnem Fehta <sup>4)</sup>, ubi habitavit annis tribus; quo in loco primum coepit habere discipulum, nomine Gembertum. Tertius locus appellatur Felisa <sup>5)</sup>, qui propior erat gentilibus et paganis, ubi tribus similiter annis mansit. Post hos, inquam, tredecim annos, dum, admonitus a Deo, ad Hassos et Thuringeos, orientales regiones Francorum, iter agere coepisset lucrandorum Deo populorum causa, pervenit ad Palatiolum, monasterium virginum prope Treveris civitatem, in ripa fluminis Mosellae, cui tunc praeerat abbatissa nomine Addula, religiosa valde et timens Deum. Quae quum vidisset athletam Dei peregrinum et egentem, gratulabunda suscepit eum in hospitium suum, implens Dominicam adhortationem: „hospes eram et collegistis me.” Cumque ille sacer sanctus viator Bonifacius secundum solitum morem suum Missarum mysteria peregisset, ut propemodum omni die agere consuevit, sederunt ad mensam, ipse scilicet et ancilla Dei, Addula abbatissa, cum familia sua. Coeperunt autem ad ipsum sanctum convivium

1) De tredecim his annis cf. supra p. 153.

2) Hodie Zuiderzee; cf. v. d. Bergh: *Handb. der mittel-Nederl. Geogr.* p. 51 seqq.

3) Hodie Woerden; cf. v. d. Bergh: o. l. p. 164.

4) Hodie Vecht; cf. v. d. Bergh: o. l. p. 69.

5) Hodie Velzen; cf. v. d. Bergh: o. l. p. 153.

plus quam epulas, solatium Sanctae Scripturae expetere, quo fieret fides audientium accensa, spesque et charitas renovata in Deum, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Tunc quaesitus est lector, et iuxta Dei voluntatem <sup>1)</sup> inventus est electus puer Gregorius, qui per idem tempus nuper a schola et palatio reversus, sub laïco adhuc habitu, quasi quartum decimum aut decimum quintum agens aetatis annum, Dei instinctu venit ad aviam suam, id est ad matrem patris sui Albrici, supradictam abbatissam Deum timentem Addulam; datusque est ei liber, qui, accepta benedictione, coepit legere et iuxta modum aetatis suae bene perlegere. Intelligens vero magister sagacem mentem pueri bonamque indolem, coepit eum, consummata lectione, his verbis moderate laudare, et dicere: „bene legis, fili, si intelligis quae legis.” Ipse autem, adhuc temporis sapiens ut parvulus et loquens ut parvulus, se scire professus est, quae legebat. „Die mihi,” inquit, „quomodo intelligis quae legis?” Ipse vero repetebat ab exordio lectionem suam, volens legere sicut prius. Praceptor autem sanctus distulit eum paululum et dixit: „non ita, fili, quaero, ut dicas mihi lectionem tuam, sed secundum proprietatem linguae tuae, et secundum naturalem parentum tuorum loquelam edissere mihi quae legis.” Hac ille ratione convictus, confessus est, quia non posset facere. Sanctus vero ait Bonifacius: „vis, fili, ut ego tibi dicam?” „Volo,” inquit. Tunc B. Bonifacius: „repete,” ait, „ab exordio lectionem tuam et discrete lege.” Quod dum faceret, exorsus est sanctus magister, et clara voce coepit praedicare et matri et omni familiae.

Cap. 4. Quae praedicatio ex quo fonte processerit, claret in conversione Gregorii, ingeniosi pueri et sagacis, quia non ab humana facundia, quae frequenter ad tempus deludit, sed ex Spiritus Sancti gratia, secundum promissum Evangelii, in modum fluminis aquae vivae de ventre fluxit doctoris;

<sup>1)</sup> *Var.* providentiam.

et cor prudens ac docile pueri Gregorii tanta virtute et velocitate penetravit, ut ad unam incogniti eatenus magistri exhortationem et praedicationem oblivisceretur et parentum et patriae, ipsaque hora, dum complexset magister sanctus praedicationem, nolens ab eo ultra disiungi, ivit ad aviam suam, praedictam abbatissam venerabilem Addulam, dicens, se velle cum homine pergere et ad discendos divinos libros discipulatum eius subire. At ipsa, carnali affectu constricta, ilico repulit eum, et omnimodis hoc fieri posse renuit, quia utique non nosset hominem, neque quo iret. Sed sicut scriptum est: „aquae multae non potuerunt extinguere caritatem,” puer Gregorius in proposito suo permansit, et dixit ad Addulam, aviam suam: „si non vis mihi dare equum, ut equitare possim cum eo, pedibus ambulando absque dubio vadam cum illo.” Sic ergo altercando de ignoto itinere diutius disceptabant ad invicem; sed tandem praevaluit caritas electi pueri Gregorii, et, ut dignum erat, carnalem amorem vicit dilectio spiritalis. Videns ergo famula Dei Addula, quia prudens erat femina, animum inflexibilem pueri, dedit ei pueros et equos, et dimisit eum ire cum sancto magistro in opus, quod compleverunt simul usque ad sanctum martyrium eius. — Intelligis, lector pius et prudens, quem secutus sit electus puer Gregorius in hoc facto, ut, inconsultis parentibus omnibusque propinquis et ipsa, quae praesens erat, resistente avia, tam subito mutaretur. Idem enim Spiritus videtur mihi in hoc tunc operari puero, qui Apostolos Christi et dispensatores mysteriorum Dei ad illud inflammavit, ut ad unam vocem Domini, relictis relictis et patre, sequerentur Redemptorem. Contemptis igitur parentibus et patria, omnibusque retro relictis, quae carnaliter blandiri poterant menti adolescentis, secundum Psalmistae dictum, b. puer Gregorius „propter verba labiorum Dei secutus est vias duras.” Durum namque erat et valde asperum, ut qui in patris domo multum divitis in iocis et deliciis erat nutritus, unum peregrinum et pauperem hominem sequeretur, nesciens quo iret, et in tantum ei obediret, ut

omnes alios homines et potentes sacculi et proprios parentes tamquam surdus non audiret, dummodo illius praeceptis obsecundaretur in omnibus. Quanta enim auctoritas lucebat iam tunc in futuro martyre Bonifacio, aestimare quis poterit, quae cor pueri tam subita immutatione incitavit? aut quis ardor caritatis ad obediendum ignoto magistro mentem iuvenis inflammavit, ut subito, oblitus sui, secutus sit Christi pauperem, omnis mundanae substantiae inopem? Non hoc fecit amor auri et argenti, non cupido praediorum et superba iactantia, quorum nihil erat in causa, sed hoc fecit artifex summus, unus atque idem Spiritus Dei, qui omnia operatur in omnibus, dividens singulis prout vult.

Cap. 5. Tunc electi Dei, iter desideratum peragentes, venerunt Thuringiam. Porro ad augmentum boni sui et ad comprobendam mentis eorum constantiam et longanimitatem, in tanta paupertate invenerunt populum illum, ut vix ibi ullus haberet unde viveret, nisi de longinquo parum quid colligeret, ut ad modicum tempus sustentaret penuriam suam. Nam tota illa regio, in confinio paganorum rebellium posita, illo tempore incensa erat et hostili manu vastata; quae tamen penuria nequaquam terrere poterat ministros Christi, ut ob id subterfugerent, quominus annuntiarent eis omne consilium Dei; sed iuxta exemplum apostolicum coeperunt laborare manibus suis, quae opus erant sibi et eis, qui cum illis erant, atque cum illo populo in tentationibus suis firmiter permanere, et, circumquaque praedicando, invitare ad coelestia regna. In his ergo studiis perseverantes, secundum formam primitivae Ecclesiae, erat eis cor unum et anima una, et augebat Deus quotidie multiplici numero, qui salvi fierent in id ipsum.

Cap. 6. Tunc fama sancti magistri et futuri martyris Bonifacii coepit dilatari per omnia orientalia regna Francorum. Coepit quoque et electus adolescens Gregorius in discipulatu eius proficere aetate et sapientia, et in tantum amabilis fieri magistro, ut quasi unicum filium cum diligeret, iam adiutorem fidelem illum habens in omni opere bono.

Hic autem tantus profectus electorum Dei non est initiatus per opulentiam et mundanas delicias, neque per securitatem et prosperitatem vitae mortalis; sed in fame et nuditate et laboribus multis. In quibus omnibus et opere manuum vivere cogebantur, et nonnumquam vicinam paganorum persecutionem ob metum mortis cum populo simul in civitatem fugere, ibique <sup>1)</sup> in atro pane et angustiis per dies plures habitare, donec, collecta multitudine sua, cives manu validiore eos iterum effugarent. Hoc ergo certamen quoniam per innumeros vicos inter paganos et christianos gerebatur, ideo hinc et inde magna pars regionum illarum redacta erat in solitudinem. In tam forti autem et periculosa in diebus illis decertatione, in tanta pugna et perturbatione dimicantium <sup>2)</sup> populorum, electus pastor Bonifacius nunquam cessare potuit a custodia et instructione gregis sui, verum tanto fuit constantior et paratior pro ovibus suis animam suam ponere, quanto rabiem luporum frequentius vidit et atrocius imminere. Similiter et fidelis discipulus eius Gregorius adiutor infatigabilis in opere Dei cum magistro permansit in custodia et educatione gregis Christi, factus secundus pastor.

Cap. 7. Eo usque autem haec ita gerebantur, donec per gratiam Christi triumpharet christiana manus, et pax plena Dei Ecclesiis redderetur. Et erant magis ac magis crescentes ac proficientes in opere Domini, sicut in praesentiarum cernitur considerantibus regiones illas. — Sed quid nos miseri, pigri et inertes in pace Ecclesiae Dei dicturi sumus, qui non gregis lucra, sed commoda nostra semper quaerentes, vix unquam in custodia ovium contra rabiem luporum vel unum latratum minimi sermonis emittimus? qui, sicut dixi, in pace Ecclesiae pigri sumus et somnolenti in custodia gregis, in lucris vero carnalibus nimium strenui et per-

---

<sup>1)</sup> *Var.* ibique in arcto loco aliquo per dies plures habitare compellerentur.

<sup>2)</sup> *Var.* dimicatione pugnantium.

vigiles? Isti autem, de quibus loquimur, in tanta perturbatione et bellorum certamine, non solum in sui intima et casta custodia mundis cordibus permanserunt; sed etiam, in lucro gregis et discipulorum documentis, tanta benedictione Dei dilatati sunt et propria vigilantia per Dei adiutorium multiplicati.

Cap. 8. Tunc priores et prudentiores Francorum, qui electum Dei martyrem Bonifacium eiusque discipulos, venerabilem Gregorium et socios eius, in tanta virtute operum et fortitudine constantiae nosse et intelligere potuerunt, coeperunt eis et sua offerre diligentius de die in diem, et laudem tantae beatitudinis et unitatis apud regem Francorum, seniore videlicet Karlum, non celare. Coepit et ipse rex virum Dei Bonifacium velle videre, iussitque eum venire ad se. Qui cum venisset, non statim in initio honore, sibi condigno, receptus est a rege; sed sic competenter dilatus, quia fuerant quidam pseudo-doctores et adultores, qui famam sancti viri et discipulorum eius obfuscare et impedire conati sunt apud regem. Veruntamen ex illo die crevit amor et honor hominis Dei et discipulorum eius <sup>1)</sup> apud omnes, qui fidem illorum et vitam scire et investigare interius desiderabant, et, iuxta dictum Evangelii: „iustificata est sapientia a filiis suis” <sup>2)</sup>. Redierunt electi Dei iterum ad sua, et in coepto opere sine ulla haesitatione permanentes in Thuringis et in Hassis, ubi tunc temporis maximo opus erat doctrina illorum, ob vicinitatem paganorum et indoctam plebem. Ibi coeperunt offerentibus propter amorem Dei et salutem animarum suarum modica loca territoriaque suscipere et in eis ecclesias construere, et in hoc quoque opere, sicut et in praedicatione sua, cum benedictione Dei multum proficere. De quibus locis est unus in Thuringia, nomine

---

<sup>1)</sup> Alius codex ms. haec interponit: „in curia regis, quia plures ibidem erant, qui fidem illorum” cet.

<sup>2)</sup> Idem codex ms. hoc loco interponit: „Postquam igitur notificati sunt in conspectu regis, redierunt.”



Erpesford, et alius in Hassis, Frideshlar, cum ceteris nonnullis, quos initiaverunt electi Dei et excoluere culta divino. Tunc creverunt loca divitiis, crevitque numerus discipulorum, ac virtute operum proficiebat. Crevit etiam beatus adolescens Gregorius cum suo magistro in omni operum virtute et decore sapientiae divinae secundum formam magistri, a quo didicerat. Et sic in his omnibus, secundum Psalmistae dictum, qui electis Dei legem dedit in virtute operum, dedit et benedictionem in multiplicatione et profectu discipulorum; et sic ibant de virtute in virtutem, quotidie in melius proficientes et crescentes in omni opere bono.

Cap. 9. Interea, dum haec ita geruntur ab electis Dei, Bonifacio et discipulis eius, successerunt in regno patri Karlo religiosi filii, Carlmannus et Pippinus, patre debitum universae carnis persolvente et transeunte de hoc mundo<sup>1)</sup>. Tunc pii filii, patri succedentes in regnum, quia eis undique per gratiam Christi maior quies erat largita bellorum, quam fuisset patri, coeperunt in regno suo, inspirante Deo, religionis officia intentius quaerere et meliorare. Coepit et hoc audire B. Bonifacius, futurus martyr, et discipuli eius, coeperuntque frequentius approximare palatio quam fecissent, et loqui cum regibus, et praedicare, secundum datam sibi a Deo gratiam<sup>2)</sup>, populum Dei in ipso palatio. Et in tantam gratiam venerunt apud reges supradictos et omnem populum Francorum, ut omnes una voce dicerent et concordarent, B. Bonifacium dignissimum esse episcopatu<sup>3)</sup> et omni honore, exceptis illis pseudo-doctoribus et adulatoribus, quos superius dixi, qui et eum interficere aliquando moliti sunt; sed non dimisit eum Dominus, protector eius, venire in malevolas manus eorum, donec annuntiaret, secundum dictum Psalmistae, brachium et potentiam Dei generationi, quae ventura erat. Igitur ipsi soli coeperunt con-

<sup>1)</sup> Anno 741.

<sup>2)</sup> *Fax*. sapientiam.

<sup>3)</sup> „Iam ab anno 723 episcopus erat, sed agitur de certa sede ei assignanda.” Sic Bollandiani annotarunt.

tradidere et eum blasphemare, quantum potuerunt, atque affirmare non esse eum dignum episcopatu, quod <sup>1)</sup> peregrinus erat. In tantum erant tunc sanioris consilii laici, quam clerici, videntes sapientiam Dei et gratiam esse in homine illo, ut quo amplius perversissimi illi (non dico episcopi, quibus nomen illud datum est immerito) eum vituperare conati sunt, tanto amplius diligeretur ab omnibus et laudibus efferretur, quoadusque in certamen venirent coram regibus et coram universo senatu populi Francorum. Sed quid opus est dicere de illa disceptatione, quam habuerunt tunc ad invicem, illi scilicet perversissimi, quos nominare nolo, ex una parte, et S. Bonifacius ex altera cum discipulis suis, Gregorio et sociis eius; dum confusi et refutati ab omni senatu et ab ipsis regibus, inde discederent adversarii, et S. Bonifacius, futurus martyr, ad hoc perveniret, ut absque ullius contradictione, una omnium voce eligeretur in episcopatus sublimissimum gradum, et Maguntia metropolitana ecclesia ei daretur a regibus providenda et regenda. Ex eo die quantum claruerit sapientia ipsius omni regno Francorum, quantasque synodos cum religiosis regibus ad correctionem populi postea instituisset, non in isto opusculo modo dicendum est, dum in modum solis effulserit in templo Dei, ac praedicatione sua et exemplis omnes nebulas effugarit infidelitatis et haereticae pravitatis, quoniam et ista omnia in libello, de passione ipsius scripto, plene et lucide manifestantur.

Cap. 10. Ad haec autem universa non modice adiutus est ab electis discipulis suis, post magistrum clarissimis praedicatoribus et columnis Ecclesiae Dei; quorum unusquisque civitatem et regionem suam, sicut Lucifer mane oriens, illuminavit exemplis et doctrina sua. B. Gregorius Traiectum, antiquam civitatem, et vicum famosum Dorstad <sup>2)</sup>, cum illa inradiavit parte Fresoniae, quae tunc temporis Christia-

<sup>1)</sup> Var. qui.

<sup>2)</sup> Wijk bij Duurstede; cf. v. d. Bergh: o. l. p. 170 seqq.

nitatis nomine censebatur, id est <sup>1)</sup> usque in ripam occidentalem fluminis, quod dicitur Lagbeki <sup>2)</sup>, ubi confinium erat christianorum Fresonum ac paganorum cunctis diebus Pippini regis. Lullus Maguntiam metropolitanam civitatem cum maxima parte orientalium Francorum <sup>3)</sup>, qui in parochia urbis illius constiterunt, incoluit. Megindodus <sup>4)</sup>, venerabilis pater et pastor gregis sibi commissi, civitatem Wirzeburg cum suis adiacentis in sua sorte sale sapientiae et doctrinae suae condivit et custodivit. Willibaldus, electus Dei antistes, episcopatum, quod nuncupatur in Helstedi <sup>5)</sup> in parte proxima nobis Baguariorum, id est <sup>6)</sup> in Nordgoe, simili modo, ut pius pater, a fundamentis illud erigens, melioravit et custodivit. Necon et germanus praedicti Willibaldi, nomine Winnibaldus presbyter, magistro meo B. Gregorio valde carus, et ipse locum et regionem suam sancte et feliciter illustravit; qui post obitum suum, quid vivens fecerit, magis miraculis ostendit. Sturm vero, venerabilis abbas, unus ex numero illo electorum Dei, quantum profecerit in eremo sua post martyrium s. magistri, Bocanna <sup>7)</sup> silva in testimonio est, quae prius omnimodis in-

1) „Id est“; sic melius cum Bollandianis legi videtur, quam cum Browero: „..... censebatur. Idem usque“ cet.

2) Hodie Lauwers; cf. v. d. Bergh: o. l. p. 44. Iniuria Browerus et Mabillon de Lecca flumine, Bollandiani de fluvio quodam, Lange Beock, cogitarunt.

3) Recte Bollandiani annotarunt: „Hic locus hactenus corrupte videtur fuisse editus, omnes enim habebant: *cum maxima parte christianorum Fresonum*. Quis autem credat christianos Frisones pro maxima parte migrasse Moguntiam? Restitui igitur, prout inveni in Ms. nostro Fuldensi: *orientalium Francorum*. Ms. vero Bodecense alium habet sensum: *Lullus maximam partem orientalium Francorum praedicando convertit*. Quae lectio forte ceteris est praefenda.“ — Cf. Rettberg: o. l. II, p. 530, annot. 28.

4) Var. Megingotlus.

5) Alii hunc locum Bystadium, Eystetum, Eystettum, Eichstadium vel Aichstadium appellant.

6) „Id est“; sic iterum legendum pro: „..... Baguariorum. Idem in“ cet., ut Browerus scripsit.

7) Var. Buchonia.

culta erat ac desertum <sup>1)</sup>, nunc autem ab oriente usque ad occidentem, a septentrione usque ad meridiem, ecclesiis Dei et electis palmitibus monachorum repleta est. Qui etiam Sturmi abbas hoc meruit privilegium a Deo et s. magistro, prae condiscipulis suis, ut ipsum locum, quem magister sanctus elegit ad sepulturam corpori suo, possidere mereretur et initiare, et sanctum corpus eius martyrizatum in eodem suscipere, et in tantum provehere et glorificare eundem locum, ut ante obitum suum de hoc mundo quadringentorum circiter monachorum, exceptis pulsantibus et aliis minoribus personis, quorum numerus multiplex valde erat in ipso monasterio, posito iuxta fluvium Fulda, pater extiterit et praeceptor. Duo autem ex illis electis <sup>2)</sup> Dei, Wigbertus et Burghardus, ante magistrum migrarunt a saeculo. Sed non sunt illi absque palma electionis suae, dum ad regna coelestia magistrum praecedere meruerunt, et in regionibus suis pro sanctis Dei habentur et coluntur ab omnibus, qui vitam illorum et virtutem cum Deo nosse potuerunt. — Cernis, o lector intelligens et diligens, quanta charismata in uno homine fuerint, et quid pauper ille, qui solitarius dudum in Fresoniae partibus fuerat, per tempus ostensionis suae fecerit ad fructum Ecclesiae Dei. Non autem ipse haec per se potuit; sed, secundum Apostolum, gratia Dei cum eo fecit haec universa et stabilivit. — Igitur quia paululum, propter communem laudem discipulorum s. magistri Bonifacii, a proposito itinere narrationis elapsus sum, nunc iterum ad id redeam, unde digressus sum.

Cap. 11. Tunc B. Bonifacius, martyr futurus, lubentibus <sup>3)</sup> religiosis regibus, cum consensu omnis senatus et populi Francorum, missus est Romam, ordinandus in episcopatus gradum, ad Gregorium papam, tertium <sup>4)</sup> a primo;

<sup>1)</sup> *Var.* deserta.

<sup>2)</sup> *Var.* electi.

<sup>3)</sup> *Var.* iubentibus.

<sup>4)</sup> Fallitur hic Ludgerus; nam a Gregorio II ordinatus est Bonifacius.

ibique ei nomen suum modo omnibus notum et divulgatum, simul cum benedictione et gradu episcopatus, ob facundiam linguae et gratiam labiorum, a Deo sibi donatam, inditum est ab apostolico Pontifice Bonifacius, qui antea Winfridi vocabulo censebatur. Sicque sanctus vir, et gradu decoratus et nomine, coram omni clero et familia beati Petri, principis Apostolorum, et coram ipso Gregorio papa prostravit se et oravit, ut, propter Deum et amorem S. Petri, ibidem ilico in ipsa ecclesia cum supplici devotione pro se flecteret genua omnis clerus, qui praesens aderat, et unanimiter omnes orarent Dominum, beatumque Petrum intercessorem invitarent et auxiliatorem orationis suae, ut bono fine et Deo placabili terminare mereretur et concludere dies suos. Qui etiam omnes, inspirante Deo, unanimiter cum summa devotione inclinantes se coram reliquiis B. Petri principis Apostolorum, compleverunt petitionem eius, sacra oratione et pastoris et gregis fusa ad Deum. Quae oratio, cum sanctis meritis ipsius conveniens, quantum valuerit apud Deum omnipotentem, testatur sanctum martyrium eius, peractum in diebus senectutis, etiam tunc nimiae imbecillitatis corporis sui, dum, in decrepita aetate positus, vivere in hoc mundo non valeret diutius. — Ecce quomodo sapiens architectus et electus Dei pontifex, Bonifacius, non super fluidam arenam humani consilii et superbae contumaciae, sed super tutissimam petram divini consilii et apostolicae humilitatis aedificavit domum suam. Et ideirco dum venirent flumina humanae adversitatis ac perturbationis, flarentque venti diabolicae tentationis et calliditatis, et impingerent in domum eius, non potuerunt eam movere, quia, secundum Domini dictam, fundata erat super firmam petram; quae petra erat Christus. Noster modo intercessor et certissimus patronus apud Deum consideravit perpendens, in quanto periculo et miseria humana constituta sit infirmitas; non in semetipso posuit fiduciam suam, iuxta morem superbiorum partis adversae; sed ad humilitatem apostolicam et filiorum Dei recur-

rit, in largitate <sup>1)</sup> divinae misericordiae et devota supplicatione Ecclesiae Dei solidavit spem suam. Sic enim et Apostoli Christi eorumque successores et cohacredes in regno Dei, in omni labore et tribulatione sua, oratione Ecclesiae Dei sine intermissione adiuti, omnia potuerunt implere, quae eis praecepta erant a Domino. — Eia, praesules et praedicatorum populi Dei! eodem honore et pari gradu in hoc seculo decorati, aspiciite et intelligite et adsumite exemplum iusti huius hominis, ut, cum vocati a Deo et electi ab Ecclesia Dei, non muneribus obcaecati, ad gradum episcopatus et ad regimen sanctum accesseritis, iuxta formam eius vos instituere fructumque afferre valeatis, permansurum in vitam aeternam.

Cap. 12. Et in illo quoque itinere, dum s. martyr Bonifacius Romae, sicut superius dictum est, sacro gradu sublimatus est, B. Gregorius, praeceptor meus, electo magistro infatigabilis comes permansit, intrans et egrediens et pergens ad imperium eius, sicut semper solebat in omni opere bono. Et non solum in hoc eodem itinere meritum humilitatis et obedientiae suae peregit, ut dignum est, iuniores subdi senioribus et maioribus suis in omnibus; sed etiam plura volumina Sanctarum Scripturarum, largiente Domino, illie acquisivit, et secum inde ad profectum proprium discipulorumque suorum, non modico labore, advexit domum. Sed et pueros duos, cum consensu magistri, in discipulatum suum, Marchelmum videlicet et Marcuinum, germanos <sup>2)</sup> de gente Anglorum, secum inde adduxit <sup>3)</sup>. De quorum seniore, Marchelmo, religiosissimo et sancto viro, ut dignum est, donante Deo, suo loco aliquid plenius dicam. Tunc felix comitatus, magister videlicet sanctus et discipuli eius electi,

---

1) Browerus scripsit: „in largitatem . . . et devotam supplicationem . . . [in qua] solidavit spem suam”

2) „ Germanos.” — Omisit hanc vocem Browerus.

3) *Var.* et eos secum ibidem assumpsit.

et propriis meritis et intercessione omnis cleri ac familiae S. Petri commendati Deo et sanctis eius, reversi sunt domum, crescentes et proficientes ex illo die in omni opere bono, docentes et instructes in via Dei, qua ipsi ibant, non solum populum et proceres Francorum, sed etiam ipsos reges religiosos sale sapientiae divinae non mediocriter condierunt. Et sic in consensu et unanimitate regum et cuncti populi per omne regnum Francorum praedicantibus illis<sup>1)</sup>, coeperunt quotidie magis magisque detrimenta fieri diabolo et incrementa Ecclesiae Dei, haereticae pravitates non apparere, et Catholica fides in omnibus rutilare, ac religio munda et immaculata longe lateque clarescere.

Cap. 13. Sed quia adhuc usque communiter et mixtim, nunc de s. magistro et martyre Bonifacio, nunc de B. Gregorio electo discipulo eius, modica quae potui ex magnis de sancta eorum conversatione ob utilitatem audientium et exemplum futurorum literis commendare curavi; deinceps specialiter B. Gregorii facta et virtutes et salutiferae praedicationis documenta, quibus erudiri, licet indignus, et interesse merui ab infantia, paucis aperire non negligam. Et primo dignum et memorabile opus, ab eo euangelice peractum, intimandum existimo, quod de remissione et indulgentia inimicorum mirabili caritate et posteris profuturo exemplo implevit. Fuerunt ei fratres nobiles et eximii, de patre generati, et de matre eius nati alii fratres, et tempore et viribus secundum saeculi dignitatem minores, quibus necesse erat in obsequio esse maiorum. Factum est autem, ut aliqui ex maioribus fratribus, honorati a rege, mittrentur in longinquiora regna Galliarum; illuc et subsequi et inhaerere necesse erat iunioribus. Dum vero post spatium temporis peracti et parentes visitare placeret et patriam, accepta licentia a senioribus suis, duo uterini fratres praeceptoris mei Gregorii coeperunt ire et propositam carpere viam, ut ad

<sup>1)</sup> Cum Ms. Bodecensi sic legendum esse puto, potius quam cum Browero et Bollandianis verba „praedicantibus illis” omittenda.

Franciam, id est naturale solum, pervenire potuissent. Qui dum irent in via, iuvenili audacia amplius securi, quam oporteret, in quadam silva latronum crudeli manu circumdati et occisi sunt. Quod statim tam lugubre nuntium dominos eorum celari non potuit, qui in illis diebus principatum non modicum ipsis in locis habuerunt. Quod ut audierunt, miserunt circumquaque satellites suos, qui eosdem latrones et carnifices exquirerent et comprehenderent. Qui et inventi et comprehensi et ligati statim adducti sunt, et, licet digni haberentur omni poena et crudelissima morte interfici, tamen ob reverentiam et amorem fratris eorum, domni Gregorii, cogitabant, ut eum aliquid in hoc consolarentur post mortem carorum, si ipsos homicidas et interfectores eorum ad eius dominium et praesentiam pervenire facerent, ut ad satisfactionem et mitigationem doloris sui, quali vellet morte ipse eos interfici iuberet. Quod et fecerunt, duos ex illis ei praesentari iubentes, carnaliter duntaxat cogitantes secundum stultam sapientiam saeculi huius, quae inimicis pio parcere non novit. Ipse vero, ut erat vir spiritalis, doctus a Domino Jesu Christo et sancto Evangelio eius, in quo didicerat scriptum: „diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est,” spiritaliter eos et gratanter suscepit, cogitans utrinque et de sua salute sempiterna et de fratrum interfectorum absoluteione, exemploque posteris profuturo: et iussit eos absolvi et balnari, vestibus indui mundis, atque cibis refici. Tunc ad se ductis praecepit, dicens: „ite in pace, et cavete, ut non ulterius tale malum perpetretis, ne deterius vobis aliquid contingat.” Et iussit in pace deduci, admonens paterna caritate, ut a ceteris propinquis suis caute se custodirent. — Quid nos modici et infirmi ad haec dicturi sumus, qui nec minimi verbi laesionem absque ultione, ubi facultas suppetit, ferre valemus? Dum de perfectis talia cognoscimus, pensemus, ubi nostra infirmitas prostrata iaceat, quae numquam tale aliquid vel mente concepit, ut flere magis libeat, quam



aliquid dicere. Forsitan obtinebunt nobis veniam lacrimae apud pium iudicem Deum, qui in meritis fiduciam habere non possumus.

Cap. 14. Sed et hoc silentio minime tegendum est, quod, Marchelmo venerabili viro narrante, didici, cuius superius memoriam feci: quia post martyrium sancti magistri, a quo, per gratiam Christi et meritum sanctitatis eius, omnes confines nationes illuminatae sunt, ipse quoque B. Gregorius a Stephano, apostolicae sedis praesule, et ab illustri et religioso rege Pippino suscepit auctoritatem seminandi verbum Dei in Fresonia, in qua primus S. Willibrordus, cognomento <sup>1)</sup> archiepiscopus, in conversione gentis illius initiavit rudimenta christianae fidei cum discipulis suis. Deinde, senescente eo in opere Dei, et stabilito episcopatu in loco, qui nuncupatur Traiectum et alio nomine Wiltaburg, et migrante ad Dominum de hac luce, successit S. Bonifacius, idem archiepiscopus et martyr, quem oculis meis ipse vidi candidum canitie et decrepitem senectute, plenum virtutibus et vitae meritis. Quo tempore in eius discipulatu, sicut superius memoravi, B. Gregorius, praeceptor meus, ab incommune aetate fuerat enutritus, cui et successit pius haeres, eiusdem gentis Fresonum pastor et praedicator, ordinatus a Domino et a principibus supradictis Ecclesiae Dei. Eademque charitate, sicut et fidei firmitate, qua praedecessores sui, sanctus videlicet Willibrordus archiepiscopus et confessor, et Bonifacius martyr atque archiepiscopus, larga et melliflua eruditione populum irradiavit, simul cum chorepiscopo et adiutore suo Aluberto <sup>2)</sup>, qui de Britannia et gente Anglorum veniebat magnis vitae meritis pollens, et eadem benevolentia iuxta vires Domino studuit animarum lucra acquirere.

Cap. 15. Quod etiam et in discipulorum multiplici benedictione ditatus est B. Gregorius, nemo dubitat a Deo ei datum fuisse, qui eiusdem electi viri et vitae meritum pen-

---

1) *Var.* cognomento Clemens archiepiscopus.

2) De Aluberto vid. supra p. 39 seqq.

sare voluerit, et pretiosissimum sapientiae eius thesaurum investigare. Propterea et hoc dignum esse memoria videtur, qualiter discipulos suos, simul cum eis communi vita conversando, ut pater filios educarit et dilexerit, singulisque tanto charitatis glutino iungeretur, ut apostolicum illud sanctum et praeclarum testimonium non tantum ex ore proferret ad aedificationem audientium, sed opere et veritate ad imitandum cunctis ostenderet, quod de vocatione et electione omnium gentium a B. Petro apostolo dictum constat: "quomodo in omni gente, qui timet Deum et operatur iustitiam, acceptus est illi." Non enim ex una qualibet gente eius erant discipuli congregati, sed ex omnium vicinarum nationum floribus adunati, et tanta familiaritate et mansuetudine laetitiaeque spirituali illuminati sunt, ut luce clarius daretur agnosci, quia de uno patre spirituali, et de matre omnium <sup>1)</sup>, charitate, generati sunt et coadunati. Quidam enim eorum erant de nobili stirpe Francorum; quidam et de religiosa gente Anglorum; quidam vero et de novella Dei plantatione, diebus nostris inchoata, Fresonum et Saxonum; quidam autem et de Baguariis et Suevis, vel de quacunque natione et gente misisset eos Deus, quorum minimus ego sum, modicus et infirmus alumnus. Quibus omnibus, undecunque quasi ad unum ovile collectis, pius pater et pastor Gregorius ét spiritualia nutrimenta doctrinarum et eloquiorum Dei, ét corporalia alimenta eadem devotione procuravit et donavit. Et ita, inspiratus a Deo, exarsit in amore et institutione discipulorum, ut nullus pene praeteriret dies, quo non, primo mane paterna sollicitudine consedens, singulis quibusque venientibus, prout quisque quaesivit, poculum vitae propinaret et irrigaret eloquio Dei.

Cap. 16. Ipsorum quoque discipulorum eius plurimi tam nobiles erant, tantoque praediti ingenio et doctrina Dei, ut ad arcem <sup>2)</sup> episcopatus ét merito vocarentur ét venirent; pluri-

<sup>1)</sup> Var. omnium virtutum.

<sup>2)</sup> Arce, pro ἀρχή, dignitas; cf. du Cange: *Glossarium*. Lepidissime

mi vero eorum, aequaliter edocti et disciplinati, etsi non tanto gradu sublimati sunt, meritis tamen non erant exigui, sed scientia et charitate Dei eximii. Operae pretium et dignum esse videtur, ut, quoquo modo valeam, singulorum testimonia suis in locis et signa charitatis <sup>1)</sup> non abscondam. Interim tamen de B. Gregorio, quae coeperam pauca de multis, ad profectum audientium, proferre conabor, quoniam peccati reus esse pertimesco, si de cognitis <sup>2)</sup> et tam profuturis bonis vel extrema quaedam narrare non incipiam.

Cap. 17. Erat enim vir ille venerabilis, secundum Sapientiae dictum, qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniae. Ideo stabilita sunt bona illius in Deo et eleëmōsynas eius divulgat Ecclesia sanctorum. Noverat utique scriptum, et opere noverat et veritate, non sermone casso, quia radix est omnium malorum cupiditas, et ideo eam quasi immane praecipitium et inferni foveam exhorruit, et praecavebat in omnibus. Sicut enim cupidi pecuniarum et avari, qui animam suam venalem habent, timent ne prodant et perdant lucra terrena, sic metuit vir ille sanctus, ne forte abscondendo ea et custodiendo perderet coelestia. Et ideo, quotiescunque auri et argenti in potestatem eius

---

haec vox F. Cramer: *Gesch. der Erziehung in den Niederländen*, in errorem induxit; nam hic vocabulum non intelligens, sic interpretatur (p. 67): „Bei aller Herablassung zu Allen finden wir doch nach der Erzählung seines Schülers Ludger eine gewisse Hofetikette (!), und einen Unterschied der Schüler nach Stand und Geburt, indem er den talentvollsten und gelehrtesten Zöglingen, die zugleich von vornehmer Geburt waren, den Zutritt in seinen Palast gewährte, nicht aber den andern, wenn sie auch an Kenntnissen und sittlicher Führung ihnen gleichstanden.“ Quae interpretatio quam falsissima est et ridicula; nam Ludgerus, quum disertis verbis narret, Gregorium cum discipulis suis vitam communem degisse, tale quid indicare nec voluit nec potuit. Porro de Gregorii palatio nusquam mentionem fecit Ludgerus; vixit enim abbas in *monasterio* suo. Verbis: „ad arcem episcopatus vocari,” dicere voluit scriptor, nonnullos scholae Ultraiectinae discipulos episcopos esse factos. Cf. Alfridus: o. l. Lib. I, cap. 9: „erant autem in illa schola Gregorii et alii condiscipuli nobiles et prudentes, e quibus alii episcopi postea exstiterunt, alii in minoribus gradibus doctores ecclesiarum.”

1) *Var.* claritatis.

2) *Var.* cognitis tanti viri.

aliquid devenerat, statim expendere curavit et pauperibus distribuere, ut vir euangelicus secundum Euangelii mandatum faceret, et thesaurizaret sibi thesauros in coelo, ubi nec erugo nec tinea demolitur et fures non effodiunt nec furantur. Et quoniam totam spem suam tam firmiter et expedite collocavit in coelestibus, nihil eum nocere potuit nec iniretore, quod de terrenis et caducis delectabile esse videbatur in mundo. O virum venerabilem et electum, mansuetum et pium, coelestibus semper intentum, et de caducis et terrenis minus curantem! Quod et habitu monstrabat et actu. Nullum in eo locum invenit superstitionis vestium et ciborum, non iactantia et detractio<sup>1)</sup>; sed uno eodemque aequali cum ceteris vestimento et victu semper contentus erat, et ex hac linguae et vitae munditia foris innotuit, quantae puritatis dilectione cor eius interius plenum erat. Ex simplici vero vestimentorum usu atque ciborum monstravit exemplo auditoribus suis, quod sermone docuit ex praeceptis Dei et Sanctorum eius. Nam legerat scriptum, Beato Petro apostolo admonente: „non in veste preciosa,” et copostolo eius Paulo adhortante didicerat, quoniam „esca et potus non est regnum Dei, sed iustitia, pax gaudiumque in Spiritu Sancto.” De potu vero eius quid dicam? in quo ei tantum erat temperamentum, ut vix unquam, secundum Apostoli dictum, modico vino uteretur, quod non esset aqua mixtum. Et non tantum in semetipso hoc adimplevit apostolicum dictum, sed et omnes sibi subiectos vehementer semper admonuit, ut numquam ebrietatis malum incurrerent, sed velut inferni focam praccaverent atque vitarent. Et de vitiorum omnium destructione virtutumque aedificatione in sua praedicatione propheticum illud frequenter proferre solebat: „posui te, ut evellas et destruas et disperdas et dissipas et aedifices et plantes,” volens auditores suos omnes dictum hoc intelligere, quia numquam virtutum decor et

1) *Var.* Nullum in eo locum invenit superfluitas vestium et ciborum, non iactantia et detractio, non otiositas sermonum; sed cet.

bonorum operum aedificium surgit, nisi vitiorum labes et immunditia destruat. Sed et apostolicum illud gloriosum et omni laude dignum testimonium, propter incitamentum charitatis Dei et proximi atque desiderium regni coelestis, frequentissime in conclusione praedicationis suae solebat aptare: „quod oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.” Sciens igitur praedicator pius, his duobus testimoniis, prophetico scilicet et apostolico, intentis auditoribus multum conferri per charisma absconditum Spiritus Sancti, quod et Prophetam implevit et Apostolum; et ideo tam sedulo in coelesti praedicatione sua hoc usus est oraculo et hortamento virtutum.

Cap. 18. Et quoniam superius uno operis testimonio, quod tam religiose vir Dei Gregorius secundum Dominicam orationem de remissione implevit, multa bonorum operum insignia demonstrantur, libet et illud referre, qualiter fecit in quotidiana conversatione sua de omnibus obtrectatoribus suis, qui ei aliquando derogabant, propriis vitiis instigati; qualiter eos non quasi pro detractoribus exhorruit et odivit, sed quasi amicos et adiutores semper amavit et adiit, et, secundum Psalmistae dictum: „tamquam surdus eos non audiens, et quasi mutus non aperiens os suum,” benigne cum eisdem conversatus est, nihilque eis negavit, quae amicis impendere debuit. Unde hoc ei, nisi gratia superna largiente, prae munditia mentis egregiae venire potuit, quod tamquam parvulus tam obliviosus iniuriarum, tam tenax virtutum fieri valuit? Sagitta enim sermonis Domini non tantum eius corporis aures tetigit, sed etiam cordis aures veraciter penetravit et illuminavit, ubi in Evangelio, parvulo ad se vocato, adhuc rudes Apostolos suos, et cum ipsis simul omne hominum genus, viam regni coelorum qualiter intrare debeant, admonuit, dicens: „Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.” Hoc ergo et cum familiaribus et cum extraneis non semel exercuit, sed assidue, nisi ubi districtio

disciplinae et correctionis inter subiectos aliud exigebat. Sed dum vir iste tam humilis et patiens, pro amore divino tam contemptibilia et suae personae indigna ét ferre voluit aequanimiter ét potuit, evenit hoc, quod in diebus eius pene omnibus, qui eum noverant, incognitum non erat, quia pene omnes hi, qui tanto viro honorem debitum impendere noluerunt, ultione divina percussi sunt et ad cognitionem sui <sup>1)</sup>, licet coacti et inviti, reducti: ut palam daretur intelligi scire volentibus, quia sub divina custodia fortiter intus protegebatur, quamvis interdum ante oculos hominum superbiorum ferre videretur indigna opprobria. Sed qui hoc attendere voluerit et imitari, non mediocriter ei proficiet ad introitum regni coelestis, dum omnes, qui eandem viam praecesserunt, talia paterentur, secundum dictum et formam Apostolorum, qui ibant flagellati a conspectu concilii gaudentes et dicentes, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum coelorum.

Cap. 19. Verum quia inter virtutes maximas opus eleemosynarum ab ipso Domino et Redemptore nostro est ordinatum, et omnes Scripturae Sanctae Novi Testamenti et Veteris hoc opus salutiferum laudant et glorificant, de largiflua eleemosynarum datione B. Gregorii, ad memoriam posteritatis et imitationis exemplum, pauca sunt proferenda. Floruit enim vir ille virtutibus aliis multis, sed maxime in eleemosynarum sacra purificatione fuit semper intentus in tantum, ut nihil sibi auri, nihil argenti praeter ecclesiae necessaria ministeria unquam reservare voluisset. Sed et de alia substantia sua, eadem benignitate largus habebatur et dilatatus, pauperibusque Christi semper proficiuus et pius, nihilque sibi ex ea, excepto victu quotidiano et vestitu simplici, voluit reservare, ponens spem suam totam magis in tremendi examinatione iudicii, quam in praesenti locupletatione thesaurorum et divitiarum mundi. Ideoque tam facile pro amore Christi omnia largiri potuit, quae habebat, ex

<sup>1)</sup> *Var.* et ad venerationem ipsius.

cuius ore et exemplo eadem didicerat, quae faciebat. Ait namque: „quod superest vobis, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.” Consideravit eadem fide et charitate, sanctos patres in Veteri Testamento, a Deo donatos, eadem spe remunerationis sempiternae de eleemosynarum operibus fructuosus semper fuisse sollicitos; unde et in psalmo S. Propheta pro beatitudinis testimonio huius operis devotionem posuit, dicens: „beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.” Sed et alius Propheta de eodem opere sancto laudabiliter canit et dicit: „sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.” Dominus quoque ipse pro hoc opere in die tremendo sanctos suos gratia sua et benedictione sempiterna offert et extollit, dicens: „venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi; quia esurivi, et dedistis mihi manducare, sitivi, et dedistis mihi bibere, nudus fui, et operuistis me, cet.” Talia B. Gregorius de utroque Testamento, in quibus doctissimus erat, intelligendo et penetrando praecepta et divinam Scripturam, legem <sup>1)</sup> verit in opera, et non auditor obliviosus factus, sed factor operis in lege Dei semper erat. — Eia, milites Christi! audite et intelligite et assumite exempla patris huius rectissima et praeclara, ut vobis <sup>2)</sup> etiam, adhuc in corpore viventibus et intuentibus ac diligentibus, ea inde crescat gratia Dei, largiens vulnerum nostrorum remedia, unde illi creverunt tantarum virtutum ornamenta.

Cap. 20. Talibus successibus et vitae meritis beatus abbas meus et praeceptor Gregorius, dum semper in melius crescendo proficeret et prope iam ad septuaginta annorum aetatem, tam carus Deo, quam cunctis hominibus, perveniret, adfuit dies, in qua militem suum Dominus adhuc meliorando subvehere vellet ad sublimiora, et remunerationis ei praemia largiri, quae meritis eius debebantur et operibus fructuosis. Tactus itaque est ea molestia corporali in sinistro latere,

1) *Var. legens.*

2) *Var. vobis.*

quam paralysin medici vocant; et crescente eadem molestia et ingravescente per dies singulos, secundum Scripturae dictum, flagellavit Deus filium suum in hac peregrinatione, quem e vicino erat recepturus ad patriam coelestium mansionum. Tribus enim annis ante obitum suum arreptus est illa infirmitate; sed erat languor talis, ut in primis ambulare posset, vel manu deduci ad profectum proprium et subditorum suorum, et loqui quae ad aedificationem pertinebant. Quod utique agere non est oblitus; sed, sicut semper solebat, tradere <sup>1)</sup> non destitit auditoribus suis libros divinae legis et monita salutis aeternae. Nam et condiscipulis melioribusque meis in eadem molestia plures tradidit libros, et mihi, modico Ludgero, librum S. Augustini tradidit, quem Enchiridion, id est Manuale, ipse nuncupavit.

Cap. 21. Haec ita agendo beatus homo Gregorius, et a profectu spiritalium successuum in ipsa aegritudine sua numquam desinendo, auxit per singulos dies sanae mentis sapientia, licet imbecilli corpore, quod sibi suisque ad ingressum regni coelestis et gaudium proficeret sempiternum. Tertio tandem anno inchoatae aegritudinis, quasi auri more, quod per ignem transiit, corporis fatigatione purgatus ad id pervenit, ut, ubicumque opus erat, inter discipulorum manus portare necesse esset. Et nec tunc quidem vir venerabilis ab opere Dei unquam cessavit; sed aut divinos libros legere coram se, aut pro eadem mentis suae exercitatione ad coelestia psalmos cantare assidue fecit; sicque ad extrema perducto imbecilla membra corporis, quae iam tunc lecto semper sustentare necesse erat, candida facta sunt ac nitida, ad instar lactis vel lanae albae, ut innotesceret videntibus, in quanta munditia spiritus intus haberetur co-

<sup>1)</sup> Tradere i. e. docere, proprie; inde: explicare, interpretari. At Neander (*Gedenkwaardigheden*, cet. II, p. 195), hoc loco utens, inter alia haec de Gregorio scribit: „hij ging voort haa de Heilige Schrift te verklaren en te prediken en schriften voor hunne eigene studie onder hen uit te deelen.” Patet igitur, virum doctum vocem *tradere* eandem habuisse ac *dividers*. Quae interpretatio quam falsa sit, unicuique, totum hunc locum accurate perlegenti, luce fiet clarius.

\*



ram oculis Dei. Tunc coeperunt conqueri et contristari qui ibidem adfuerunt utriusque sexus necessarii amici, tam de eius transitu citius imminente, quam de tardatione electi filii eius, Albrici, in quo totius domus <sup>1)</sup> spes magna incubuit, qui tunc temporis in Italia erat regali servitio occupatus, et nemini notum, quando esset venturus. Haec audiens pater Deo dilectus, Gregorius coepit condolere maerentibus, de se ipso securus et de filio sollicitus, et consolatus eos coepit, sicut frequenter sanus corpore ante solebat inter communia colloquia, propheticum illud <sup>2)</sup> proferre ac dicere: „ nolite timere; non transibo,” inquit, „ antequam ipse veniat.” Quod quam veraciter spiritu praenosceret, rei probavit eventus; nam triduo vel quadriduo ante transitum eius venit diu optatus et electus filius eius Albricus inopinate, cunctis nescientibus, excepto patre spiritali, qui eius adventum longe ante praedixit.

Cap. 22. Tunc, continuos illos tres dies aut quatuor in communi utilitate et totius familiae salubri negotio dum ducerent, sano sensu quaecunque desiderabant invicem conferentes, venit ei dies extremus mortalitatis huius, ad ingressum regni et perpetuae salutis praedestinatus. Circumsteterunt eum discipuli eius, desiderantes adhuc, quamvis infirmum, patrem diutius secum habere, et de eo optando dicere ad invicem: „ non moritur hodie, non moritur hodie.” Ipse vero, viribus adsumptis, quibus valuit: „ hodie,” inquit, „ volo licentiam habere.” Et his dictis, iussit se ante oratorium Sancti Salvatoris a discipulis portari, et ostium aperiri, ibique oratione facta et communione sacri corporis et sanguinis Domini accepta, aspiciens ad altare, mente coelestibus intentus, ad Dominum perrexit, cui tanto tempore sincera mente servivit, praestante eodem Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

---

<sup>1)</sup> Domus, i. e. societas sacerdotum et discipulorum, non stirps Gregorii, ut alii voluerunt.

<sup>2)</sup> Var. aliquid.

## T H E S E S.

---

### I.

Errant, qui Willibrordum primum episcopum Ultraiectinum fuisse putent.

### II.

Qui statuunt, Ludgerum Saxonibus Ostphalis euangelium annuntiasse, monasteriumque Helmstadiense condidisse, eorum narratio prorsus reiicienda est.

### III.

Ludgeri scriptum: „Commemoratio de S. Bonifacio atque Gregorio,” iniuria a nonnullis viris doctis interpolatum ad nostram aetatem pervenisse habetur.

### IV.

Scriptor euangelii, quod κατά Αουζάνη inscribitur, natione Iudaeus fuisse habendus est.

V.

Eccles. X: 1 pro זָבוּב יָמוּחַ זָבוּבֵי מָוֶת omnino זָבוּב יָמוּחַ legendum est.

VI.

Perperam Joh. III: 16 seqq. a ceteris, quae praecedunt, Jesu verbis separantur.

VII.

Gen. IV: 8 post: וַיֹּאמֶר קַיִן אֶל-הֶבֶל אָחִיו verba nonnulla desiderantur.

VIII.

Revelatio, quae Eliae in monte Horeb fuit (1 Regum XIX), non eo consilio est facta, ut idolorum sacerdotum caedes vituperaretur, sed ne propheta religionis verae victoriae diffideret.

IX.

Locus Ies. LIII: 9<sup>a</sup>. וַיִּתֵּן אֶת-רֵשָׁעִים קְבֹרוֹ וְאֶת-עֲשִׂיר בְּמִתּוֹ legendus, et vertendus est: // et dedit cum improbis sepulcrum eius et cum divite monumentum eius."

X.

Joh. XIX: 36 verba: ἄστρον οὐ συνιβήσεται αὐτοῦ potius

e Ps. XXXIV: 21, quam e Num. IX: 12 citata esse videntur.

XI.

Vox *ἀμαρτία*, quae occurrit 2 Cor. V: 21 non vertenda est „sacrificium pro peccato,” sed „peccatum.”

XII.

Non sunt audiendi, qui Simonem Magum, Act. VIII: 9 commemoratum, haeresiarchum sibi fingunt illum notissimum.

XIII.

Miracula, quae in S. Codice nobis occurrunt, non nisi e scriptorum mentibus explicanda et interpretanda sunt.

XIV.

Qui contendunt, Jesu *ἀναμαρτοσίαν* ex nativitate eius supernaturali vel ex miraculo quodam esse explicandam, omnem Jesu exempli vim tollunt.

XV.

Christi religionis pretium et vis salutifera in eo quaerenda videntur, quod ipse cum hominibus vitae principia communicaverit, quae maximam vim exercuerint ad hominum animos flectendos, mutandos.

XVI.

In religionis Christianae pretio vindicando et defendendo, plurimi sunt habenda, quae ex Ecclesiae Christianae historia petantur argumenta.

XVII.

Oratoris sacri est, in precibus, in cantu sacro, in con-  
cione, in toto denique ritu, quantum potest, unitatem quan-  
dam observare.